CONTROVERSIÆ MEMORABILIS

Inter Paulum V. Pontificem Max. & Venetos;

De Excommunicatione contra eosdem Venetos Romæ promulgata XVII. Aprilis anno CIↃ IↃ CVI.

ACTA ET SCRIPTA VARIA

Summa fide ex Italico in Latinum Sermonem conuersa, prout Romæ & Venetiis excusa prodierunt.

Index scriptorum pagina sequente extat.



IN VILLA SANVINCENTIANA,
Apud Paulum Marcellum,
SVMPTIBVS
CALDORIANÆ SOCIETATIS,
ANNO CIↃ IↃ CVII.





INDEX SCRIPTORVM

HOC VOLVMINE

comprehensorum.

Protestatio

BREVE



BREVE
PAVLI V. PONTIFICIS MAXIMI,
QVO VENETI AB IPSO EXCOMMVNIANTVR.



PAVLVS PAPA V.

VENERABILIBVS FRATRIbus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, per vniuersum dominium Reipublicæ Venetorum constitutis, & dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, necnon vniuersis Abbatibus, Prioribus, Primiceriis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Plebanis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, in eodem dominio existentibus, tam secularibus, quàm quorumuis Ordinum & Institutorum regularibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

SVPERIORIBVS mensibus ad nostram, & Apostolicæ Sedis audientiam peruenit, Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetorum, annis elapsis in eorum Consiliis plura, ac diuersa decreta, tum Sedis Apostolicæ auctoritati, & Ecclesiasticæ libertati, ac immunitati contraria, tum generalibus Conciliis, & sacris Canonibus, necnon Romanorum Pontificum constitutionibus repugnantia statuisse: Et inter cetera

ſub die xxiij.menſis Maij anni M.DCII.ſumpta occaſione, ex quadam lite,ſeu controuerſia inter doctorem Franciſcum Zabarellam ex vna, & Monachos Monaſterij de Praglia nuncupatos Ordinis ſancti Benedicti Congregationis Caſſinen. aliàs ſanctæ Iuſtinæ de Padua in Diœceſi Paduan. ex altera partibus vertente,in eorum Conſilio ſtatuiſſe, non ſolum vt dicti Monachi tunc, aut deinceps vllo vnquam tempore,actionem, per quam ſub quouis titulo,aut colore in bonis Eccleſiaſticis emphiteoticis à laicis poſſeſſis præferrentur ,prætendere, ac etiam iure prælationis, ſeu conſolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ in primis inueſtituræ comprehenſæ, aut alia quauis cauſa bonorum prædictorum proprietatem ſibi vendicare minimè poſſent, ſed tantummodo ius directi dominij illis præſeruatum eſſet, verùm etiam, vt idipſum quoad cæteras omnes perſonas Eccleſiaſticas ſæculares, & regulares Monaſteria Monialium,Hoſpitalia,&alia loca pia in eorũ temporali dominio exiſtentia, declaratum, & firmiter deliberatum cenſeretur. Et ſub die decima Ianuarij M. DCIII. ad ſuperiora quædam Conſilia ab eorum Maioribus, vt etiam aſſerebant, habita reſpicientes, quibus cauebatur, ne quiſquam,ſiue ſæcularis,ſiue Eccleſiaſticus in Vrbe Venetiarum,Eccleſias,Monaſteria,Hoſpitalia,atque alias religioſas Domos, & pia loca, ſine eorum ſpeciali licentia fundaret, & erigeret, in Conſilio Rogatorum congregatos iterum decreuiſſe, vt id eandem in omnibus iuriſdictionis eorum locis vim obtineret, & præterea exilij, ac perpetui carceris, & publicationis fundi, vẽditioniſque ædificij contra ſecus facientes

cientes pœnam edixiſſe : Vlterius eoſdem Ducem & Senatũ die xxvj.menſis Martij anni M.DCV.inhærentes alteri decreto anno M. DXXXVI. ab eodem Senatu facto,in quo(vt aſſerebant)erat expreſsè prohibitum, ne quis ſub certis in illo contentis pœnis,in vrbe Venetiarum, eiuſque Ducatu bona immobilia ad pias cauſas teſtamento, ſeu donatione inter viuos,relinqueret, aut alio quouis titulo alienaret, ſiue ad earum fauorem vltra certum tunc expreſſum tempus obligaret,(quod in illum vſque diẽ,vt ibi etiam dicebatur, vſu receptum & obſeruatũ non fuerat :) non modo iterum id vetuiſſe, ſed expreſsè etiam prohibuiſſe, ne bonorum eiuſmodi immobilium alienationes in fauorem perſonarum Eccleſiaſticarum, ſine Senatus prædicti licentia, fierent; ac inſuper decretum ipſum, & pœnas in eo contentas per vniuerſum eorum dominium extendiſſe, & per Rectores, & Poteſtates Ciuitatum, & locorum ſui dominij, promulgari feciſſe, atque bona immobilia omnia, quæ contra præmiſſorum formam vendi,aut quouis modo alienari contingeret, vltra nullitatis pœnam publicari, & vendi, eorumque pretium inter Rempublicam ipſam, Magiſtratum exequentem, & eius miniſtros, ipſúmque denuntiatorem diuidi mandaſſe, & alias,prout in decretis, & mandatis Ducis, & Senatus prædictorum latiùs dicitur, contineri. Ac præterea eoſdem Ducem & Senatum, Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum & Brandolinum Valdemarinum Foroiulienſem Abbatem Monaſterij, ſeu Abbatiæ de Neruesa Taruiſinæ Diœceſis, perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam, ob quædam prætenſa crimina in

ciuitate Vicentina, & alibi per illos (vt dicebatur) commiſſa, carceri mancipaſſe, & mancipatos detinuiſſe, ſub prætextu, quòd eis hæc facere liceret, inter alia ob quædam ipſis Duci & Reipublicæ à quibuſdam Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa (vt aſſerebant) priuilegia. Cumque præmiſſa in aliquibus Eccleſiarum iura etiam ex contractibus initis ipſis Eccleſiis competentia auferant, ac præterea in illis, & aliis Sedis Apoſtolicæ ac Noſtræ auctoritati, & Eccleſiarum iuribus, & perſonarum Eccleſiaſticarum priuilegiis præiudicium inferant, ipſámque libertatem, ac immunitatem Eccleſiaſticam tollant. Ac ea omnia in ipſorum Ducis & Senatus animarum perniciem & ſcandalum plurimorum tendant. Et cum ij, qui ſupradicta, ac ſimilia edere, & promulgare, illíſque vti auſi ſunt, in cenſuras Eccleſiaſticas à ſacris Canonibus, generalium Conciliorum decretis, & Romanorum Pontificum conſtitutionibus inflictas, necnon etiam priuationis feudorum, & bonorum, ſi quæ ab Eccleſiis obtinent, pœnam, eo ipſo incurrerint, à quibus cenſuris, & pœnis, nonniſi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, abſolui, & liberari poſſint, ac præterea inhabiles, & incapaces ſint, qui abſolutionis, & liberationis beneficium conſequatur, donec editas leges nouis edictis atque decretis ſuſtulerint, omniáque inde ſequuta reipſa in priſtinum ſtatum reintegrauerint: Cũque etiam Dux & Senatus prædicti, poſt plures paternas noſtras monitiones à multis menſibus citrà eis factas, adhuc decreta, & edicta præfata non reuocauerint, ac eoſdem Canonicum Saracenum, & Abbatem Brandolinum carceratos detineant, &

illos

illos venerabili fratri Horatio Episcopo Hieracenſi, noſtro & Apoſtolicæ Sedis apud eos Nuncio, vt debebant, non conſignauerint, Nos, qui nullo pacto ferre debemus, vt Eccleſiaſtica libertas, & immunitas, Noſtráque & Sedis Apoſtolicę auctoritas violetur, & contemnatur: Inhærentes plurium generalium Conciliorum decretis, ac veſtigiis re. me. Innocentij III. Honorij III. Gregorij IX. Alexandri IIII. Clementis IIII. & Martini etiam IIII. Bonifacij VIII. Bonifacij IX. Martini V. & Nicolai V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, quorum aliqui ſimilia ſtatuta aliàs contra libertatem Eccleſiaſticam edita, tanquam ipſo iure nulla, inualida & irrita reuocarunt, ac nulla, inualida, & irrita eſſe decreuerunt, & declararunt, & aliqui contra ſimilium edictorum ſtatutarios, & alios ad excommunicationis promulgationem, necnon ad alia infraſcripta ſeu eorum aliqua deuenerunt, habita cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus matura conſultatione, de ipſorum conſilio, & aſſenſu, licet ſupradicta decreta, edicta, & mãdata ipſo iure nulla, inualida, & irrita ſint, ea nihilominus ipſo iure adhuc de nouo nulla, inualida & irrita, nulliuſq; roboris, & momenti fuiſſe, & eſſe, & neminem ad illorum obſeruantiã teneri, per præſentes decernimus, & declaramus. Et inſuper auctoritate omnipotẽtis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ac Noſtra, niſi Dux & Senatus prędicti intra vigintiquatuor dies à die publicationis præſentium in hac Alma Vrbe faciendæ computandos, quorũ primos octo pro primo, octo pro ſecundo, & reliquos octo pro tertio & vltimo, ac peremptorio termino, & pro monitione cano-

nica illis assignamus, prædicta decreta omnia, & in illis contenta, & inde sequuta quæcunque, omni prorsus exceptione & excusatione cessante publicè reuocauerint, & ex eorum Archiuiis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus decreta eiusmodi annotata reperiuntur, deleri, & cassari, & in locis eiusdem dominij, vbi promulgata fuerunt, reuocata, deleta, & cassa esse, neminemque ad illorum obseruantiam teneri publicè nunciari, ac omnia inde secuta in pristinum statū restitui fecerint & vlteriùs nisi à similibus decretis contra libertatem, immunitatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam, ac Nostrā, & Sedis Apostolicæ auctoritatem, vt præfertur, facientibus edendis, & respectiuè faciendis in posterum cauere, & penitus abstinere promiserint, ac Nos de reuocatione, deletione, cassatione, nunciatione, restitutione, ac promissione prædictis certiores reddiderint, & nisi etiam prædictos Scipionem Canonicum, & Brandolinum Abbatem prædicto Horatio Episcopo & Nuncio cum effectu consignauerint, seu consignari fecerint, ipsos tunc, & pro tempore existentem Ducem & Senatū Reipublicæ Venetorum, statutarios, & eorum fautores, consultores, & adhærentes, & eorum quemlibet, etiamsi non sint specialiter nominati, quorum tamen singulorum nomina & cognomina præsentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc prout ex tunc, & è contra excommunicamus, & excommunicatos nunciamus, & declaramus: A qua excommunicationis sententia, præterquam in mortis articulo constituti, ab alio, quàm à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, etiam prætextu cuiuscunque facultatis, eis, & cuilibet illorum tam in

genere,quàm in ſpecie pro tempore deſuper conceſſæ,ſeu concedendæ,nequeant abſolutionis beneficium obtinere:Et-ſi quempiam eorum, tanquam in tali periculo conſtitutum ab eiuſmodi excommunicationis ſententia abſolui contigerit,qui poſtmodum conualuerit,is in eandem ſententiam reincidat eo ipſo, niſi mandatis noſtris, quantum in ſe erit,paruerit:Et nihilominus,ſi obierit,poſt obtentam huiuſmodi abſolutionem, Eccleſiaſtica careat ſepultura,donec mandatis noſtris paritum fuerit: Et ſi dicti Dux & Senatus per tres dies,poſt lapſum dictorum vigintiquatuor dierum , excommunicationis ſentẽtiam animo(quod abſit)ſuſtinuerint indurato,ſententiam ipſam aggrauantes, ex nunc pariter prout ex tunc ciuitatem Venetiarum , & alias Ciuitates,Terras,Oppida,Caſtra, & loca quæcumque,ac vniuerſum temporale dominum dictæ Reipublicæ Eccleſiaſtico interdicto ſupponimus,illamque & illud ſuppoſita eſſe nunciamus, & declaramus,quo durante in dicta ciuitate Venetiarum & aliis quibuſcunque dicti Dominij Ciuitatibus,Terris,Oppidis,Caſtris & locis,illorumque Eccleſiis, ac locis piis,& oratoriis etiam priuatis,& domeſticis Capellis,nec publicè,nec priuatim , Miſſæ tam ſolemnes,quàm non ſolemnes, aliaque diuina Officia celebrari poſſint,præterquam in caſibus à iure permiſſis,& tunc in Eccleſiis tantùm & non alibi,& in illis etiam ianuis clauſis, non pulſatis campanis,ac excommunicatis , & interdictis prorſus excluſis:neque aliter quæcumque indulta, & priuilegia Apoſtolica;quoad hoc quibuſcunque tam ſæcularibus,quàm regularibus Eccleſiis, etiam quantumcunque exemptis , & Apoſtolicæ Sedi imme-

diatè ſubiectis,etiamſi de ipſorum Ducis, & Senatus iurepatronatus,etiam ex fundatione,& dotatione,aut etiam ex priuilegio Apoſtolico exiſtant, ac etiam ſi tales ſint, quæ ſub generali diſpoſitione non comprehendantur,ſed de illis ſpecialis, & indiuidua mentio habenda ſit,Monaſteriis, Ordinibus etiam Mendicantium,aut inſtitutis regularibus,eorumque Primiceriis,Prælatis,Superioribus, & aliis quibuſcunque etiam particularibus perſonis, aut piis locis, & oratoriis etiam domeſticis, ac Capellis priuatis,vt præfertur,in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis hactenus conceſſa, & in poſterum concedenda vllatenus ſuffragentur: Ac vlterius eoſdem Ducem & Senatum,& quemlibet eorum, non ſolum Reipublicæ, ſed etiam priuato nomine ſi aliqua bona Eccleſiaſtica in feudum, ſeu aliàs quouis modo à Romana, aut veſtris,ſeu aliis Eccleſiis conceſſa obtineant, illis feudis,& bonis,necnon etiam omnibus, & quibuſcunque priuilegiis,& indultis, in genere vel in ſpecie, in quibuſdam videlicet caſibus & delictis contra Clericos procedendi, illorumque cauſas, certa forma præſcripta, cognoſcendi à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris forſan quomodolibet conceſſis, ex nunc ſimiliter, prout ex tunc,& è contra priuamus,ac priuatos fore, & eſſe nunciamus,& decernimus. Et nihilominus, ſi ipſi Dux,& Senatus in eorum contumacia diutius perſtiterint indurati, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas contra illos,eiſque adhærentes,& in pręmiſſis quouis modo fauentes,aut auxilium,conſilium & fauorem præſtantes,etiam iteratis vicibus aggrauandi, & reaggrauandi, aliaſque etiam pœnas contra

ipſos

ipsos Ducem & Senatum declarandi,& ad alia opportuna remedia,iuxta sacrorum Canonum dispositionem,contra eos procedendi, facultatem nobis & Romanis Pontificibus successoribus nostris nominatim & in specie reseruamus. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,necnon priuilegiis, indultis,& litteris Apostolicis eidem Duci & Senatui, aut quibusuis aliis personis in genere vel in specie, præsertim, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam,& expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem,ac, aliàs sub quibuscunque tenoribus,& formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis,ac irritantibus, & aliis decretis, ac in specie cum facultatibus absoluendi in casibus,nobis,& Apostolicæ Sedi reseruatis, illis quouis modo per quoscunque Romanos Pontifices,ac Nos,& Sedem Apostolicam in contrarium præmissorum concessis,confirmatis, & approbatis: Quibus omnibus & singulis,&aliis suprà expressis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes,hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus,ceterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes Nostræ litteræ ad omnium maiorem notitiam deducantur, Vobis & cuilibet vestrum per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ,& sub diuini interminatione iudicij,necnon sub interdicti ingressus Ecclesiæ,ac suspensionis à Pontificalium exercitio, ac fructuum Mensarum Patriarchalium,Archiepiscopalium &Episcopaliũ perceptione,quoad vos,Fra-

tres Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac etiam priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, quæ obtinueritis, ac etiam vocis actiuæ & paſſiuæ, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinẽda, quoad vos, filij Vicarij, & alij ſupradicti, eo ipſo incurrendis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis pœnis diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per vos, vel alium ſeu alios, præſentes litteras, poſtquam eas receperitis, ſeu earum notitiam habueritis, in veſtris quiſque Eccleſiis, dum maior in eis populi multitudo ad diuina conuenerint, ad maiorem cautelam, ſolemniter publicetis, & ad Chriſti fidelium notitiam deducatis, necnon ad earundem Eccleſiarum veſtrarum valuas affigi, & affixas dimitti faciatis. Et vlterius volumus, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes, ſiue illarum exempla, etiam vt præfertur impreſſa ad Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ valuas, & in acie Campi flore vt moris eſt affixæ, & publicatæ eoſdem Ducem & Senatum, ac alios quoſcunque prædictos, voſque etiam vniuerſos, & ſingulos, reſpectiue perinde afficiant, ac ſi eorum ac veſtrum cuilibet perſonaliter directæ, intimatæ, & præſentatæ fuiſſent. Datum Romę apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XVII. Aprilis M. DCVI. Pontificatus noſtri anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Anno

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1606. indictione quarta, die verò xvij. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctis. in Christo Patris, & D.N.D. Pauli, diuina prouidentia Papæ V. anno eius primo, supradictæ litteræ earumque exempla impressa, affixa, & publicata fuerunt ad valuas Ecclesię Lateranen. ac Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicę, necnon acie Campi flore vt moris est, per nos Christophorum Fundatum, & Ioan. Domenicum de Pace Apostolicos Cursores.

Petrus Aloysius Peregrinus
Cursorum Magister.

ROMÆ, Ex Typographia Vaticana: M.CDVI.





LITTERÆ DVCIS VENETORVM AD CLERVM QVI IN DOMINIO REIPVBLICAE VENETAE.

Leonardus Donatus, Dei gratia Venetiarum Dux, &c.

Ad reuerendissimos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, totius Dominij nostri Veneti, & ad ipsorum Vicarios, Abbates, Priores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, & alios Prælatos Ecclesiasticos, Salutem.



AD aures nostras peruenit, Sanctissimi Patris Pauli Papæ quinti mandato quoddam assertum Breue contra nos & Senatum ac Dominium nostrum fulminatum Romæ die xvij. Aprilis proximè elapsi publicatum & affixum fuisse, vobísque directum, cuius tenor in ipsis eius litteris continetur. Quamobrem nos, qui tranquillitatem ac quietem Dominij nostro regimini à Deo commissi seruare tenemur, & auctoritatem Principis neminem superiorem in temporalibus sub diuina Majestate agnoscentis tueri debemus, his nostris publicis literis, coram Deo, & vniuerso orbe protestamur, nihil eorum, quæ per nos fieri poterant, prætermissum fuisse, quo validissimas & indissolubiles rationes, & iura nostra Sanctitati suæ innotescerent, eíque probarentur: primùm quidem per Oratorem nostrum apud Sanctitatem suam legatione fungentem: deinde verò per nostras literas, quibus respondimus prioribus Breuibus nobis ab ea di-

ea directis: Demū per extraordinarium Oratorem ad eandem propter ea missum. Verùm, quum Sanctitatis suæ aures clausas inuenerimus, cognouerimúsque præfatum Breue cōtra omne ius & æquum emanasse, & contra ea, quæ diuina Scriptura, sanctorum Patrū doctrina, sacrique Canones præcipiunt, in præiudicium auctoritatis sæcularis à Deo nobis traditæ, & libertatis Reipub. nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis, bonorum, honoris, & vitæ, qua fideles subditi nostri diuina gratia sub nostro regimine fruuntur, non sine omnium scandalo promulgatum fuisse: prædictum Breue non modò vt iniustum, indebitúmque, verumetiam vti nullum, nulliúsque roboris, aut momenti, nobis Sabeneum esse non dubitamus, atque ita inualidum, irritum, & fulminatum illegitime, & de facto, nullóque iuris ordine seruato, vt ea remedia adhibenda non duxerimus, quibus maiores nostri, & alij supremi Principes vsi sunt cum Pontificibus, qui potestatis à Deo sibi in ædificationem traditæ limites ac modos egressi fuerunt. Præsertim, quum exploratum nobis sit, vos, cæteróſque fideles nostros subditos, vniuersúmque orbem idem de eo existimaturos. Non dubitantes, quin, sicut ad hoc vsque tempus curæ animarum fidelium nostrorum sedulò inuigilastis, diuinóque cultui operam dedistis, qui vestra diligentia in hac nostra ditione ita floret, vt cæteris non sit inuidendum: sic posthac in eodem Pastorali officio perseueraturi sitis: quum nobis decretum, constitutúmque sit, in sancta fide catholica, & Apostolica, atque in obseruantia S. Rom. Ecclesiæ persistere, quam maiores nostti à prima huius ciuitatis origine hucusque diuina comitate gra-

tia,& ſine vlla intermiſſione coluerunt.

Mandantes has noſtras, vt omnibus innoteſcant, in magis conſpicuis huius noſtræ vrbis, ac aliarum fidelium ciuitatum noſtro Principatui ſubiectarum, locis affigi. Certò exiſtimantes, tam manifeſtam promulgationem ad omnium aures peruenturam, qui de eiuſdem Breuis publicatione aliquid audierunt, immo ad Sanctitatis ſuæ aures acceſſuram. Deúmque obſecramus, vt ſuo diuino Spiritu illius mentem excitet, quo Breuis ſui & omnium contra nos actorum nullitatem cognoſcat, & cauſſæ noſtræ iuſtitia, hac æquitate perſpecta, animos nobis addat ad obſequium, reuerentiámque retinendam erga ſanctam ſedem Apoſtolicam, cuius nos, præceſſoréſque noſtri, ac Reſpublica vniuerſa ſemper fuimus ſtudioſiſſimi, ac in poſterum fore decreuimus. Datum in noſtro Ducali Palatio, die ſexto Maij, Indictione quarta, anno M. DC. VI.

Iacobus Girardus Secretarius.

Impreſſa apud Rampazettum, typographum Ducalem.

LITERÆ SERENISSIMÆ REIPVBLICÆ, AC SENATVS VENETIARVM, *ſuis municipiis & ſubditis.*

QVum voluntate æterni Dei conſtitutum ſit, vt regimini hominum, & cõſeruationi ſocietatis ciuilis, ſedeant in mundo Principes, qui ſint ipſius vicarij & imitatores: quia, vt ipſe, Pater & Protector vniuerſalis, ſua ſumma bonitate & ſapientia omnibus ſuccurrit ac prouidet: ita etiam Principum prudentia ac legibus protegantur ac defendantur ipſorum ſubiecti in ſuis peculiaribus dominiis: cui rei continuè inuigilando Reſpublica Veneta, nec minus ſa-

nus ſatagens beneficia & commoda ciuitatum ſibi ſubiectarum, quàm ipſius ciuitatis Venetæ, pio & paterno zelo mota voluit incolas ciuitatum illarũ, (qui ſunt membra cariſſima, & pars ipſius Reipublicæ) ſemper participes fieri tum legum, tum ſtatutorum, quæ cognouit eſſe in beneficium & commodum ipſorum. Quum igitur iam per centurias annorum prohibitum ſit in hac ciuitate ac Ducatu, nequis alienet, diſtrahat, aut diuendat poſſeſſiones ſuas ſeu immobilia hominibus eccleſiaſticis: quia ita continuè acquirentes, quum ſpes nulla ſit in manus laicorum vnquam illa immobilia reditura, certiſſimum erat breui tempore ad ipſos peruenturos omnes fundos & immobilia, aut ipſorum maiorem partẽ, maximo damno rerum publicarũ, & graui ciuium incommodo, quibus, pace & bello grauatis perſonalibus functionibus & muniis publicis, nullo pacto potuiſſent patriæ reddere quod illi debent, ſi poſſeſſionibus ſuis ac immobilibus deſtituerentur. Quod videns sereniſſima Reſp. Veneta maxima confuſione introductum eſſe, timénſque ne in aliis terris ac locis ſui dominij, contagio illa ſerperet, vbi tum artibus Eccleſiaſticorum, tum ſimplicitate deuotarum ac piarum perſonarũ, quarta pars, imo tertia agrorum, ac aliorũ immobilium abalienata fuit: hac iuſtiſſima lege, quæ beneficium ac commodum ſingulorum ſubiectorum ſpectat, ſanxit, vt in omnibus ciuitatibus & territoriis obſeruetur ſupradictum interdictum: cenſentes iniuſtum eſſe, quum vos quotidiana onera & grauamina ſuſtineatis, eos, qui parum, aut etiam nihil Reipub. conferunt, otioſè frui bonis quæſitis ſudore ac ſanguine veſtrorum progenitorum: conformantes

se in hoc cum omnibus Christianis Principibus, qui bono moderamine suorum regnorum, curant vt à suis subiectis hoc ipsum obseruetur. Hæc lex competit solummodo subiectis laicis, & bona laica tantùm spectat, quæ foro temporali subiiciuntur, nullo pacto imminuens aut infringens bona spiritualia & Ecclesiæ, cui facultas relinquitur acquirere, aut dona accipere in pecunia numerata, aut in alio mobili quod pecuniæ æquipolleat: imo etiam, cum bona Senatus venia, licet illi etiam immobilia acquirere. Quæ quidem omnia bona ecclesiastica, quum à Principibus publicis impensis protegantur ac defendantur, debent etiam, (vt à sanctissimis Synodis sancitũ est) ipsis Principibus semper prompta & aperta esse in necessitatibus publicis, in bello & in pace. Sæpe etiam accidit, vt, sub religionis pallio, introducantur in ciuitates & arces turmæ hominum peregrinorum, qui construentes ædes, oratoria, templa, in locis iniquis, & qui publicæ securitati nocent, præter id quod introducunt mores absonos, aut bono publico aduersantes, possunt pessima effecta producere, cùm variorum impedimentorum, tum etiam quia multiplicantes & crescentes in infinitum, consuetæ eleemosynæ & opera pia, nõ satis sunt magno numero religiosorum, cum incommodo, imo cum certa pernicie, antiquarum, patriarum, ac protectricum sodalitatum religiosarum, quarum merita & preces semper à ruina vindicarunt nõ solùm ciuitates, sed etiam ipsam Rempub. Cui malo quum occurratur per antiquissima statuta, quæ prohibent, ne sine venia vlli liceat in iis locis talia ædificia cõstruere, nõ tamen vt destruantur templa, quæ hodie quamplurima sunt in nostro dominio,

dominio, immo plura quàm in vllo alio Christiani orbis loco: sed quia Senatus (cui incumbit vestræ immunitatis,& securitatis publicæ cura)non inscius est innouationum quæ quotidie serpunt. Præterea, quum illa statuta, ministrorum incuriâ, hodie sint derelicta, statutum est denuo illa recensere & publicare, vt in tuto sit patria, & publica libertas conseruetur, censent Senatus ad Dei cultum pertinere, in tuto denuo collocare ac protegere ciuitates illas & ciues, qui sibi à Diuina maiestate commissi sunt. Ad hæc, quum ad quietè & pacificè viuendum necesse sit ius indifferenter exercere in discolos,& publicæ quietis violatores,in quorum numero, vt cuius notum est,sępissimè reperiuntur religiosi & ecclesiastici, qui in tantum numerum progressi, & summis diuitiis & otio licentiosiores facti ac insolentiores,pessimo exemplo turbant ac vexant, non solummodo ciues, immò & ciuitates ipsas, insidiantes facultatibus, honori ac vitæ proximorum, audentes,vt suis insatiabilibus cupiditatibus satisfaciant, præter litigia, & cauillosas altercationes forenses, veneno & ferro etiam ipsos parentes impetere, atque ita viam aperire ac struere suis diabolicis machinationibus.Qui quidem discoli, licet Religiosi & Ecclesiastici dicantur, sicuti per leges diuinas & humanas sancitum est, semper castigati ac puniti fuerunt à maioribus nostris ad honorem Dei & Ecclesiæ,& leuamen oppressorum: à maioribus inquam nostris, qui tamen catholicè & piè Rempublicam moderati sunt, & quorum administrationem & animaduersionem in id genus hominum, multi sanctissimi Pontifices & Breuibus & Bullis in diuersis ætatibus semper laudauerunt ac

approbauerunt. Igitur volentes, vt debemus, in supradictis iustissimis legibus, & in tam vetusta iuris dicundi consuetudine perseuerare; præcipuè hoc tempore, & aduersus viros supradictorum criminum suspectos, imò & atrociorum, accidit vt Paulus V. Pontifex hodiernus, ab hostibus huiusce Reipub. qui ipsi adulantur, fuerit fraudulenter persuasus, vt vellet impedire nostras actiones, interrũpere antiquissimas cõsuetudines, & originalia priuilegia, immò & legem imponere cursui nostrarum iustissimarum legum. Res, quam nulli vnquam Principes nec Respublicæ iam à 1200. annis ausi sunt tentare: nec impedire quominus in beneficium vestrum, (fidelissimi & amantissimi filij,) possimus leges constituere, & punire eos qui vos offendunt. Quòd si vnicuique priuato licet de suis rebus & de sua familia statuere, repellere iniuriam sibi illatam, multo magis id poterit Respublica à Deo constituta & erecta in vestri custodiam & cõseruationem: Respublica, inquam, libera, quę neminem vnquam superiorem agnouit, quæ, ob thesauros suos impensos, ob sanguinem suorum ciuium & subiectorum effusum in Ecclesiæ Romanæ defensionem, meruit à Pontificibus nõ solum laudem & honorem, sed etiam incrementum ac ampliationem sui imperij. Cui quidem Pontifici Paulo V. licet (vt illum possemus dimouere à sua sententia) sæpe cum omni humili affectu, reuerentia, & obsequio, per legatum nostrum Romæ curauerimus explicare nostra iustissima iura: nihilominus, bonum malo pensans, nos Breuibus, Monitoriis, seuerissimis protestationibus, etiã in ipso sanctissimo Natalis die impetiit, quum sacrosancta communio sumenda

menda erat, & quum Princeps noster Grimanus animam exhalabat: Præterea de nobis immeritò cõquestus est apud Principes, & apud Cardinalium Consistorium. Nos tamen, continuè perseuerantes in solita reuerentia & obsequio nostro, in fidem maioris humilitatis, cum noua & extraordinaria legatione, denuo redimus ad debitum & conueniens officium: quum tamen ille nihil prorsus voluerit remittere ex suo premeditato rigore, & seueritate cõsultata: quin potius, magis ac magis accenso ac indurato animo suo à peruersis cõsiliis, planè constituit in nos dirigere, quamuis iniustè, interdicta, & alia sua vulgaria & solita arma: quæ quidem, vt iustificati apud Diuinam majestatem, sicut credimus nullo pacto posse nobis nocere, ita voluimus, in fidem nostri erga vos amoris ac beneuolentiæ paternæ, vos omnium istorum certiores reddere: scientes quòd, vbi videritis hoc omne accidisse quia voluimus protegere & defendere tum facultates vestras, tum honorem vestrum, idque sine vlla offensa in Ecclesiam, neque in Deum, iniquo animo feretis tam iniquos ad indebitos actus, & in omnem euentum operam dabitis vt & iura communia & vestra particularia ab iniuria defendantur.

*

23

DISSERTATIO DE IVRE SERENISSIMÆ REIPVB. VENETÆ,

IN TVRBIS, QVÆ ILLI mouentur à sanctitate Papæ PAVLI V.

AVTORE ANTONIO QVIRINO
Senatore Veneto,

Ad Patriam suam,& vniuersum ipsius Reipublicæ dominium.



IMPRESSA ITALICE VENETIIS
Apud Euangelistam Deuchinum
M.DCVI.

Cum venia Superiorum.

EXcellentissimi Domini infrascripti, Capita Excelsi Consilij decemuiralis, postquam ipsis constitit per relationem reuerendorum Theologorum ad id deputatorum & spectabilis Secretarij Senatus Giacomi Vicci, iureiurãdo adhibito, quòd Domini Reformatores Studij Pataujni, in libro inscripto, (*Dissertatio de iure Serenissima Reipub. Venetæ in turbis quæ illi mouentur à Sanctitate Papæ Pauli V. autore Antonio Quirino Veneto Senatore, Ad patriã suam, & vniuer sum ipsius Reip. dominium*, ab ipsis diligenter viso & benè considerato, nihil prorsus in eo repererunt quod contrarium sit Sanctæ Fidei Catholicę, neque quod aduersaretur Principibus & bònis moribus, immò censuerunt eum librum dignum qui prelo committeretur: Excellentissimi, inquam, Domini infrascripti veniam dant librum hunc imprimendi in hac ciuitate, & non alibi.

Dat. die 21. Augusti 1606.

D. Marcus Contarenus } Capita excelsi Consilij Decemuiralis
D. Zuanes Morus
D. Anzolus Correrus

Illustrissimi Consilij X. Secretarius
Ioannes Baptista Patauinus.

DISSER-



DISSERTATIO ANTONII QVIRINI Ad Rempub. Venetam.

IN hac vniuersali commotione, & admiratione omnium eorum ad quos peruenit Breue censurarum & interdicti, factum (vt fama est) nuperrimè, & publicatũ Romæ ab hodierno Pontifice Paulo V. aduersus Remp. Venetam, non potui ipsemet, non grauiter perturbari, quum plenè instructus sim eorum, quæ inter hosce duos Principes transacta sunt: & præterea conscius sim, non solùm validissimi iuris quod est à parte Reipublicæ, dum vult sartum tectum conseruare suum temporale dominium & libertatem sui imperij, aduersum quæ diriguntur prætextus ipsius Pontificis, verùm etiam certus sim quo moderamine, ac obsequio, de his cum sua Sanctitate, disseruerit, possum, inquam, certò affirmare nullam iustam causam locum dedisse huic deliberationi. Verùm quia non omnibus innotuerunt, nec prætextus Pontificis, nec iura Reipub. censui non absonum fore, si ea ob oculos ponerem vnicuique qui cupit eorum notitiam habere, sed præcipuè iis, quibus à Domino Deo commissa est cura populorũ, vt possint dignoscere intra quos cancellos velint ipsorum administrationem redigi, & quonam tendant cogitationes eorum, qui aliud prætendentes, Sanctitati suæ consilium dederunt, vt sibi conaretur parare a-

bſolutam auctoritatem & potentiam in Principes in rebus temporalibus, Volui, inquam, hæc manifeſta exhibere, & vnuſquiſque, cum ea luce quæ ſibi data eſt, poſſit ratiocinari ſuper iis rebus quæ ſalutem communem ſpectant. In quo proteſtor coram Domino Deo, me nullum alium ſcopum habere, niſi ſalutem publicam, nec mihi in animo eſſe vllo pacto recedēdi à Catholica ſanctę Eccleſiæ Religione, & à pura & ſincera veritate, quam plenè perſpectā & exploratā habeo, pro viribus humani intellectus, in eo quod hoc argumentum & negotium ſpectat. In hoc enim cum omni attentione verſatus ſum à principio ad finem, & particeps factus fui omniū eorum quæ hanc materiam ſpectant, ſeu agatur de re ipſa, ſeu de jure.

Controuerſiæ, quæ Pōtifici intércedūt cū hac Republica, in ſumma ſunt tres, Vellet ſua Sanctitas, vt omnes Eccleſiaſtici, qui delicta admittunt, damnū, maleficium, dedecus, infamiam inferunt cui libuerit in dominio eiuſdem Reipublicæ, nullo modo poſſent corrigi à Magiſtratu aut conſilio Reipublicæ, nec eorū audacia & temeritas caſtigari. Prodiit autem in lucem hæc Papæ voluntas eo temporis momento, quo Decemuirale conſilium (quod ſupremæ auctoritatis eſt, & quod ex conſuetudine immemorabili, ſolet omnes indifferenter punire, tam laicos, quàm eccleſiaſticos, vbi aliquod graue & enorme delictum commiſerint in quouis loco Sereniſſimi Domini Veneti, ad quod etiam veniunt querelæ eorum quibus iniuria facta eſt circa honorem, vitam, facultates, cum inſolentia, & tyrannide non ferenda) cœperat, vt ius & bona adminiſtratio exigebant, ad quietem & cōſolationem ſub-

iectorum,litem duobus viris intendere, & eos sub bona custodia clausos detinere,viros, inquam, qui externo habitu Ecclesiastici quidem videbantur,sed ex eo quod ipsis imputabatur, & cuius inquisitio hucusque facta fuit, erant internè adeò malè notati, & in suis actionibus tanta audacia & scelere, vt eorum correctionem negligere, in tantum damnum abiisset, & tam malè satisfactum fuisset subiectis, qui opprimebantur tum ab illis,tum etiam ab aliis qui priorum similes, ipsorum exemplo imitabantur, vt euidens periculum immineret, quum non possent longiori patientiâ sustineri & in suis delictis & excessibus supportari, cum maiori confusione & scandalo priuata manu vindicarētur offensæ,tum in peculiares, tum etiam in Rempublicam.

Volebat præterea sua Sanctitas, vt liceret cuiuis hominum generi, siue laici, siue Ecclesiastici essent, siue ex multis, siue ex paucis eorum sodalitates, & congregationes conflatæ essent, ex quacunque regione in ciuitatem Venetam venirent, vel in alias Reipublicæ Venetæ subiectas, liceret inquam illis exstruere Templa,Monasteria, & id genus ædificia, & illic sedes figere, vbi lubentia ipsorū vellet habitare:neque tamē liceret Reipublicæ,nec vlli Magistratui in ciuitate Veneta, nec extra ipsam in omni sua ditione, inquirere, & certiores fieri, quales essent aduenæ illi, vnde, & cui bono venissent:nec etiam esset in potestate Magistratus inquisitione debita factaveniam illis dare construendi talia ædificia:quod nuperrimè à Republica est lege statutum ex analogia multarum aliarum. Quasi liceret, sub prætextu sodalitatum Ecclesiasticarum introducere in ciuitates & arces Principum quoslibet homi-

num cœtus, qui possent multis modis offendere, vt posthac dicetur, insidiarij securitati & quieti populorum, ac etiam insidiosis technis & fraudulentis, publici moderaminis formam turbare.

Præterea existimat Pontifex, Rempublicam non posse exequi multas leges, quæ variis temporibus latæ sunt, vt bona lex ac norma præfiniretur suis propriis subiectis, quo possent de suis facultatibus ritè disponere, ne eas transferendo in personas Ecclesiasticas, priuarēt posteros, & sibi coniunctos ac heredes propria substantia, necnon etiam Principem spoliarent iis viribus quæ à dictis facultatibus manant, vnde, temporis progressu, cogeretur oneri grauissimo succumbere, quod sustinet in defendendis suis subiectis, sibi & suæ protectioni à Domino Deo commendatis, necnon etiam semetipsum & libertatem suam eo præcipuè tempore, quo oculos accipere debemus ad immensam potentiam, & per magnas vires Principum à vera Religione alienorum, qui hac Republica euersa (quæ est vice propugnaculi & antemuralis reliquo orbi Christiano) possent faciliùs viam sibi sternere ad residuum infelicis Christianitatis subiugandum.

Hi sunt prætextus, quorum mentionem fecit sua Sanctitas in nonnullis Breuibus ad Rempub. scriptis, vt ei persuaderet reuocare suas leges latas super laicorū facultatibus quæ in Ecclesiasticos transeunt: & irritum reddere vinculum illud, quo quiuis tenetur veniam petere ædificandi de nouo in vsum & commodum sui ipsius: tum etiam vt in manus suas traderet duos illos, qui, vt supra dictum est, tam nefandorum criminum rei erant.

Verùm quum illi non satis essent ea quæ in Breuibus

uibus continentur, prætextus, quales quales sint, prætextibus aggregando, in vno censurarum edicto, prælo(vt fama est)commisso, voluit ea adiungere, quorum ne minima quidem mentio facta est in dictis Breuibus, quòd scilicet Respublica grauiter errauerit in vna alia sua lege, dum voluit prohibere ne Ecclesiastici prælationem haberent in bona emphyteotica dicta in eodem edicto, quamuis ea bona in illa lege non ita nominentur: sed in vniuersum prohibeatur prælatio, & lex detur iudiciis, vt in cõtrouersiis ortis inter Ecclesiasticos & sæculares super id genus bonis, iudicia exerceantur à Iudicibus laicis, vt iam à multis, annorum centuriis, & per immemorabilem consuetudinem solitum est fieri: iudicia enim exercere pendet à lege quam Princeps sanxit, & suis propriis iudicibus præscripsit. Immò Respublica habet suas leges pro bonis & iustis, spectantibus ad suum temporale dominium, quum in ipsis agatur de rebus temporalibus. Existimat etiam necessarium, & ad se pertinens, per auctoritatem à Deo sibi concessam. & quia ita exigit bona gubernatio, tum etiam quia ex eo pendet quies sui Dominij, & consolatio suorum subiectorum,) punire & castigare reos, quos ab immemorabili consuetudine semper puniuit in criminibus grauibus & atrocibus.

Ego existimo ex sola facti narratione vnumquemque,(qui sana sit mente, nec passionibus distractus,) perspicuè posse videre ius esse penes Rempublicam, cui suffragantur honestas, necessitas, vsus, consuetudo, sua religio, & sua moderata gubernatio. Sed quia quibusdam hoc satis non est, qui credunt necessarium, esse disquirere & examinare iura vtriusque partis, quo certiùs de hac controuersia possit

iudicium ferri, quum persuadere sibi nequeant, Pontificem Romanum, caput Ecclesiæ Christianæ eousque processisse, nisi aliqua causa nixus, quæ saltē probabiliter posset eū ad resolutiones tanti momenti & tanti ponderis impellere, ea examinabo, quæ in simili argumento dici possunt de istis controuersiis, vt magis perspicuè appareat, Sanctitatem suam nec causas nec prætextus satis probabiles habuisse: relinquens aliis curam detegendi plurimos errores, qui in progressu huius negotij commissi sunt, quò magis manifesta sit nullitas & inualiditas supradictarum censurarum.

Multi ratiocinati sunt super causis, quæ mouere potuerunt Pontificem ad tales cogitationes. Alij quidem existimant, quòd quum (antequam ad Pontificatum perueniret) varia munia obiuisset, & in iis multa iudicia exercuisset inter subiectos ecclesiæ Romanæ, tam Ecclesiasticos, quàm seculares, hoc ei magno fuit excitamento, eandem auctoritatem assumendi etiam in eos qui suæ ditionis non sunt. Alij dicunt, hanc malam suæ Sanctitatis dispositionem erga Rempublicam Venetam, originem cepisse ex delationibus, quæ parum charitatis & veritatis in se habebant, quæ eo maiorem vim & vigorem habuere (licet nonnihil suspectæ forent) quia semper coniunctæ fuere cum certa persuasione, quam quotidie fouebat, (licet sine vllo veritatis fundamento,) Rempublicam & Senatum non esse vnanimes & eiusdem sententiæ circa hasce controuersias, & metum censurarum eos magis adhuc inter se diuisurum: vnde ij qui habenas in manibus habebant, coacti forent suæ voluntati cedere. Sunt etiam qui dicant, Pontificem inuitum fuisse impulsum

ſum ad hæc tentanda, vt in anxietate animi conſtitutus, cura & labore repletus, tandem eſſet ita oppreſſus & debilitatus, vt breui nouus Pontificatus ſperaretur. Alij alias cauſas afferebant, & alias ratiocinationes, quas longum eſſet enarrare. Sed quum ſciam neceſſarium non eſſe, imo periculoſum, ingredi in talia iudicia, ſatius eſt dicere, quod vt induceretur ad hoc experiundum, non defuere media rationum aliquo pacto apparentium, quæ tamen ab vniuerſo conſenſu virorum prudētum non fuerunt approbatæ, non tantùm ex curia Romana, (vt ſemper intelleximus per viam certam) ſed & ex reliqua Italia, & forſan ex toto orbe Chriſtiano. Quæ quidem rationes quum mihi notæ ſint, & in pauca capita redigantur, non mihi moleſtum erit eas adſcribere, adiuncto reſpōſo, vt credo, ſatis perſpicuo & analytico, & quod poterit ſedare animum cuiuſuis, quantumlibet ſcrupuloſi & moroſi. Sed, antequam ad hæc veniam, decet percurrere fundamenta, quibus innixa Reſpublica exiſtimat, imo planè credit, non erraſſe in ſuis decretis, nec in ſuis iudiciis, nec in ſuis legibus: ex quibus adhuc eruetur concluſio ſumpta ab ea & publicata, vt vniuerſo orbi innoteſceret, vnà cum maturo conſilio, non ſolummodo Senatus, (cuius prudentia nunquam parui facta fuit, quod ſciam,) ſed etiam excellentiſſimorum & eruditiſſimorũ profeſſorum in omnibus bonis ſcientiis. Eò autem vergit hoc conſilium, vt non debeat Reſpublica timere illas cenſuras, quas credit iniuſtas, inualidas, & nullas, quod & credunt illi qui ei conſilium dederunt. Primò igitur exiſtimat Reſpublica ſe non erraſſe in ſuis legibus & conſtitutionibus ab ipſa factis ſuper diſpoſitione

bonorum laicorum, quæ transeunt in Ecclesiasticos, quia necessitas, honestas, ratio naturalis & diuina, omnis ratio ciuilis, exemplum omnium aliarum bene moderatarum Rerumpublicarum, &, vt finiam, cura quam Respublica debet habere de Religione, & de sua conseruatione, eam indixit & impulit ad hoc faciendum: & iurisdictio, quam Deus ipsi concessit in suos populos, non solummodo id ei concessit, sed & efficaciter persuasit. Et quisnam erit, si inquisitionem fecerit diuitiarum ab Ecclesiasticis possessarum in Dominio Reipub. Venetæ, & quantum creuerint ab aliquot annis, & quousq; singulis diebus procedebant (omnino autem ratio exigebat, vt Pontifex de his omnibus exactam notitiam haberet) qui non agnoscat manifestam diminutionem publicarum viriũ, præcipuè in factionibus realibus & personalibus, quas sufferre tenentur populi ad defensionem & conseruationem sui & suarum facultatum. Iustè subditi appellantur, ipsorum fortunæ & facultates, & personæ ad communem defensionem, per tot factiones, per tot expensas, quæ ordinariè & extraordinariè fiunt à Republica in tot militiis terrestribus & maritimis, in exercitibus, in præsidiis, in arcibus, in annona & commeatu, & in tot aliis publicis necessitatibus, quæ omnia pendent ex ipsorum bona administratione, & spectant ad omnium securitatem. Ad ista obeunda alacriter & lubenter concurrunt, alij cum iusta contributione pecuniaria, alij cum ipsa persona. Attamen conqueruntur, quòd tantũ onus, quod in tam numerosas facultates, & in tãtam hominum multitudinẽ debuerat diuidi, ab humeris vnius tãtũmodo partis sustineatur. Indicarũt etiam sępe Principi, se

cipi,se breui oneri impares futuros,nisi publica manu illis prouideatur,vltra alias constitutiones in simili casu aliis temporibus factas:sibi magno adiumento futurum in extremis suis necessitatibus,si aliquo modo securi reddantur,facultates ipsorum nō multum imminutas iri. Agnoscens igitur Respublica,quòd id quod auferebatur pauperibus subditis,ad ditandos Ecclesiasticos,redibat omne ad imminutionem suarum virium;quia , quantum istis addebatur commodi,immo etiam superflui , tantum illis addebatur debilitatis,immo miseriæ , non potuit non videre & non sentire iustas querimōnias subiectorum , & quam necesse erat medelam huic rei adhibere.Erat enim manifestum , necesse esse,aut subditos alleuare à supradictis factionibus; quia detracta fuerant tot bona & tot facultates ab integro cumulo;aut illis aurem non præbere , vnde cogerentur oneri succumbere. Alleuare ipsos erat impossibile ob vrgentem necessitatem illarum factionum,sine quibus conseruari nequeunt Respublicæ:querimonias autem illorum non audire,& illos non iuuare honesto aliquo suffragio,id demum erat iniustū,damnosum,& perniciosissimū.Quid ergo faciundum erat?Si hæc prouisio necessaria non fuit,quæ vnquam necessaria potuit dici ? Licet ne Principi deserere suos subditos? Licet ne illi semetipsum deserere? Licét-ne illi Rempublicam absque ærario videre,dominium absque administratione; arces sine præsidio ? nónne debet castra sua munire,fluminibus aggeres obtendere,vias struere ? Potést-ne priuari aut omnibus , aut magna parte eorum qui suas factiones militares obeunt,& terra,& mari?nónne debet custodire sua maria , suos por-

tus,ſua flumina? Debét-ne in prædam relinquere infidelibus ac piratis nauigationes & commercia pauperum Chriſtianorum,non ſolummodo ſuæ ditionis,ſed eorum etiam qui parum agnoſcunt hoc pium & religioſum officium? Habét-ne in ſe vel tantillum honeſtatis,quòd tot populi & tanta hominum multitudo incuſtodita maneat, & tantis malis expoſita,dum pauci fruuntur plenè & abundanter tot diuitiis,tot commodis, quot hodie nemini non notum eſt?Lege igitur ſpectante ad conſeruationem totius Reipublicæ dominij, ne in minimam quidem reprehenſionem incurrit: Si enim hoc fecerunt quædam parua dominia & municipia, ne intra paucos dies exterminarentur, & incolis omnino priuarentur,vt accidit Loreto,& Terræ del Boſco Alexandrinæ,(patriæ boni Pōtificis,qui hoc eis permiſit,& gratum habuit,)quanto magis debet fieri vbi agitur de conſeruatione tantæ Reipublicæ, tam religioſæ,de conſeruatione tot & tantarū prouinciarum quas poſſidet,& quas conſeruat, & quæ reuera ſunt aggeres & propugnacula aduerſus infideles?Poſſident Eccleſiaſtici in dominio Reipublicæ diuitias immenſas:nā ex veris inquiſitionibus, quæ ea de re factæ ſunt,& ex regiſtris publicis, necnon ex aliis certis inſtructionibus,immobililia quæ poſſident excedunt triginta milliones auri,quū ipſorū reditūs excedant millionē cū dimidio: & omnes haſce diuitias acceperunt à piis & religioſis laicis,vt poſſent ali ſacerdotes, ædificari & reſtaurari tēpla, pauperes ſubleuari,cultus diuinus,& reliqua id genus opera charitatis exerceri. Attamen res eſt conſideratione digna,quòd quāuis in vniuerſo Reipub. dominio,non minus propria cura & attētione corū qui ad

qui ad ipſius adminiſtrationē vocati ſunt, quàm cura eorũ qui Eccleſiaſticorũ nomine verè digni ſunt, floreat veræ Religionis exercitiũ, & cultus diuinus vigeat, cũ tanto numero templorũ, monaſteriorũ, & tot aliorũ locorũ piorũ, & cũ eo ſplendore & honore, qui omnibus manifeſtus eſt: nõ tamen ab iis qui multa poſſident, ſed ab iis qui minus, exequutioni mãdantur voluntates teſtatorum, aut eorũ qui tot bona dederũt. Nã ſi numerẽtur Eccleſiaſtici, qui fruũtur maioribus & melioribus reditibus, tã pauci reperientur, vt vix vnus inter centũ: quum appareat tantũ bonorũ cumulũ, in pauciſſimos deflucre, qui tenuiſſimã ipſorũ particulã expendunt in ea opera, & in eũ finẽ, cui deſtinata ſunt: (quod tamen à me profertur cũ ſummo dolore, zelo honoris Dei me ad hoc impellente.) Diuites ſunt Epiſcopatus, diuites Abbatiæ, ditiſſima nonnulla Monaſteria, quorũ quædã habent in reditibus pluſquam quinquaginta millia numorũ aureorũ. Et ſub iſtis pauciſſimæ animæ ſuſtentantur & nutriuntur, reſpectu tantarũ facultatum cultui diuino deſtinatarũ, vix relicto pauperibus, (qui ſeruiunt altari, tẽplis, adminiſtrationi Sacramentorũ, & concionibus) victu & veſtitu: immò ipſe victus & veſtitus vt plurimũ ipſis erogatur ab ordinariis laicorũ eleemoſynis. Attamẽ Princeps hunc abuſum patienter tulit & fert adhuc, (licet cũ magna offenſione, à ſola diuina prouidentia remediũ huic malo expectans, quæ in tẽpore & loco optimè poterit huic rei mederi. Sed & hoc tacendum non eſt, non minorẽ eſſe ipſius Principis & Reipub. patientiã, dũ coguntur permittere eaſdem diuitias, quæ expendi deberent in reſtauratione & conſeruatione religionis Chriſtianæ, in iis ciuitatibus, & in-

ter eos,quorũ maiores illas contulerũt & donarũt, nihilominus variis artibus transferantur & ad alios populos,& ad alias ciuitates,& maiori ex parte impendantur,non ad religionis vsum,sed ad purum& merũ cõmodum tẽporale,& ad splendorẽ mundanũ fulciendũ,maximo fideliũ scandalo, & omnium Christianorũ,quorũ quamplurimi, licèt immeritò, hinc occasionẽ ceperunt abalienandi se à nobis, & separandi.Nec vllo pacto dubitari debet an vera sit ista supradictarũ diuitiarũ translatio.Nam Abbatiæ ab extraneis possesse,pẽsiones ipsis Abbatiis impositæ,& Episcopatibus,& tot aliis beneficiis in extraneorũ gratiã,solutio annatarũ omniũ beneficiorũ, tã maiorũ quàm minorũ,pro collationibus,& missione in possessionẽ grauamina duplicata,quæ tagliones vocantur,Monachorũ congregationibus impositæ,quartariæ,quindeniæ, & alia similia,hoc omnibus notũ & manifestum reddunt:præter id quod quidã,modis forsan non decentibus,ambitione aut alia passione impulsi,occultè mittũt ea quæ ab aliis mala conscientia,vt credibile est,recipiuntur. Quã igitur honestatẽ prætendere potest sua Sãctitas,dũ vult vt qui tanta habet,tanta possidet, & forsan iis abutitur,aduersus omnẽ normã pietatis, iustitiæ & cõsuetudinis,& aduersus omnẽ veræ virtutis doctrinã,maiora adhuc possideat,&iis fruatur,in perniciẽ alterius,qui indebitè suo spoliatur, & ad paupertatẽ redigitur,ne dicã ad miseriã &infelicitatẽ?Esset-ne honestũ videre intra breue tẽpus paucissimos prædiuites,opulentos,dominos omniũ rerum, immunes & liberos ab omni onere:&ex alia parte omnes reliquos,exspoliatos,nudos, versari sẽper incontinuis laboribus,in factionib' publicis,&domesticis?

Æquum

Æquum igitur est,vt quum Ecclesiastici possideant in dominio Reipublicæ tantum quantum ipsis satis est,& multo plura: quod quidem superfluum, si bene & ex proportione distribueretur,affatim sufficeret,non solùm iis qui hodie satis sunt ad inseruiendum cultui nostræ veræ religionis, sed etiam multo pluribus: posthac malis artibus maius augmentum bonorum temporalium illis non procuretur. Quæ quidem bona temporalia tandem, iuxta Sanctorum patrum sententiam, plus nocent ministerio, quàm illud iuuent. Nec ius naturæ,nec ius gentium permittunt,id, quo quisque esset ad propriam vitam sustentandam, sit ipsi aut vi, aut fraude ablatum. Hoc non conuenit cum puro instinctu naturali à Deo omnibus viuentibus dato: quorum vnicuique videtur ipsamet natura inseuisse rationem ac modum sui defendendi:ratio humana, siue innitatur ratiocinationi intellectus,siue cõsuetudine,aut lege scripta sanciatur, hoc nunquã permisit in vlla congregatione ciuili,aut administratione, nec hoc seculo, nec antiquis temporibus vera Religio Christiana non id concedit, immò contrarium iubet: Ast è contra volet Pontifex, volent Ecclesiastici,vt populis & Principibus ista vis inferatur,vt per vim Principes impediantur ne laicis sua bona possint conseruare,& sub prætextu conseruandi suam latam licentiam, sub nomine libertatis Ecclesiasticæ,spoliabunt & populos suis facultatibus & fortunis, & Principem suis viribus, suo dominio,suâ auctoritate, qua,per omnia iura, potest talem spoliationem impedire, & remedium afferre tantis confusionibus, cum iis legibus, & constitutionibus, quę in omnibus seculis,imperiis,regnis,prouinciis,

ſemper bonę & iuſtæ exiſtimatæ ſunt,neq; vllo modo repugnantes Religioni Chriſtianæ, quã nos docuit ipſius verũ caput, Dominus noſter Ieſus Chriſtus,docuerunt ipſius Chriſti veri Apoſtoli & diſcipuli, tot ſancti & probati Doctores ipſius Eccleſiæ?Et quid aliud eſſet, huic tali prætenſioni adſtipulari, niſi Principem eo ſpoliare, quod verè ſibi proprium & eſſentiale eſt, quod ipſum facit Principem,dare ſcilicet legem & normam perſonis & facultatibus ſubiectorum,& ſubiectos priuare regula & norma boni regiminis & bonę adminiſtrationis, tum in ſuis perſonis,tum in ſuis facultatibus.Si Princeps hac auctoritate priuetur,nihil illi reliquum erit quàm purum nomen: Et ſi ſubiecti hac diſciplina & inſtitutione priuarentur, relinquerentur in confuſione,expoſiti cuilibet iniuriæ,cuilibet ruinæ. Eſtque hæc violentia contra ambos,Principem ſcilicet & ſubiectos,ita vnita & coniuncta, vt cenſeri non debeat facta aduerſus duos, ſed aduerſus vnum tantùm:præcipuè quum imperium non eſt violentum & tyrannicum ,ſed legitimum & moderatum, qualis,Dei gratia,agnoſcitur eſſe adminiſtratio Reipub. Venetæ. Manifeſtum enim eſt, poteſtatem & iuriſdictionem legitimi Principis aliã non eſſe à iuriſdictione populorum qui vniti & concordes conſentiunt & ſe ſubmittunt imperio & adminiſtrationi Magiſtratuũ: & tanti ponderis ſunt leges & cõſtitutiones Principum, quales eſſent, ſi ſubiectis ſimul congregatis, vnuſquiſque eas conſtituiſſet & decreuiſſet,ſinguli ſuo peculiari ſuffragio.Quomodo igitur quiſpiam,qui ſana mente ſit, nequiret concludere,multitudinem liberã, neminique ſubiectã, non poſſe de ſe ſtatuere, & de ſuis facultatibus, ad

libitum

libitum ſuum,niſi ab alio reprehendatur, & vi adigatur ad mutandum conſilium ſuum:ita nec Pontifex, nec quiuis alius, qualis qualis ſit, iuſtè poſſunt conqueri,immò nec ſeſe immiſcere in eas leges & conſtitutiones rerum laicarum & temporaliũ,quas ſancit Reſp.Veneta, in qua reſidet eadẽ poteſtas & auctoritas,quę reſidet in pectore &volũtate omniũ populorũ & ſubiectorũ,qui parent ſuo iuſto &moderatiſſimo imperio.Quilibet priuatus diſponet de ſuis facultatibus & fortunis, prout ipſi commodius videbitur, conſtituet perpetuam ſucceſſionem in ſua bona in gratiã vnius hominũ generis:alios exclu det, ſiue ſint Eccleſiaſtici,ſiue laici,& vſus, conſuetudo,& omnis lex id permittet:&Princeps,qui magis patronus eſt & vitæ & facultatum ſuorum ſubiectorum,quàm ipſimet priuati,impedietur ne hoc agat?Certiſſimum eſt leges humanas & ciuiles,tum hac ratione,tum aliis, quæ citantur à legum Profeſſoribus,vt Reſpublica,& alij Principes poſſint condere tales cõſtitutiones, prohibere ſcilicet ſuis ſubiectis alienationem ſuorum bonorum in certas & determinatas perſonas: & addunt neminem poſſe meritò de hoc cõqueri,quia tale decretum legẽ non præſcribit niſi perſonis &rebus indubitatè ſubiectis iuriſdictioni ſuæ & moderatiſſimo imperio.Nã leges ſuper hoc argumẽto ſancitæ,nõ imperãt niſi laicis,& circa bona à laicis poſſeſſa.Ea licet Principes poſſint tales cõcluſiones ſumere etiã in bona ab Eccleſiaſticis poſſeſſa, ídque in certis caſibus, quando ſcilicet apparet neceſſarium eſſe pro bono publico, tales,inquam,concluſiones,quæ non repugnant,immò conformes ſunt veræ doctrinæ Catholicæ & Eccleſiæ,nihilominus,quum nunc de hoc non agã-

tur,manifestúmque sit, & euidentissimum,in iis legibus,quæ hodie à Papa in dubium vocantur, nullā mentionem fieri nisi bonorum purè & merè laicorum,certò cōstituendū est, Rempublicam habuisse, & semper habituram auctoritatem tales leges condendi: alioquin priuaretur & spoliaretur ea potestate,quæ præcipuè eā constituit Principē,eíque Principis formam dat,hoc est veri legislatoris & moderatoris suorum subiectorū. Adde etiā, quòd quū in multis Italiæ ciuitatibus talia peculiaria statuta reperiātur,quæ continēt similes,aut parū differētes prouisiones,& super eadē materia bonorum laicorum, ne scilicet hoc modo vel alio transferantur in clericos:quod & Genuæ fit,& Sienæ, vnde originē trahit hic Pōtifex,& in aliis etiam ciuitatibus, quæ bona & antiqua administratione vtuntur, absurdum esset, Rempublicam Venetam, (Principem & patronā multarum ciuitatum, in quarū statutis peculiariter habentur similes prouisiones,in variis temporibus à bonis suis ciuibus sancitæ,) non posse eadem & similia decreta condère: hoc enim pacto reduceretur ad minorem & inferiorem potestatē & iurisdictionem, quàm ipsæ illæ peculiares ciuitates suo dominio subiectæ. Verùm,quid opus est afferre exempla ciuitatum Italiæ,quum Prouinciæ integræ, & Regna omnia Christiani orbis, idem obseruent & faciant? Quod quidem si in dubium vocetur,possent produci, immò producerētur excerpta legum Germaniæ,per tot sæcula ab Imperatoribus administratæ,qui in rebus tēporalibus per longissimam seriē potuerunt conscribere leges maiori parti orbis,immò ipsi Romæ, etiā post aduentum Christi,per immensū illud spatiū,quod optimè no

tum

tũ eſt iis qui præteritarũ rerũ notitiam habent: Leges nobiliſſimi & Chriſtianiſſimi Regni Galliæ, adeo benemeriti de toto Chriſtiano orbe, & de ſancta Eccleſia: Leges Regni Hiſpaniæ, cuius Reges ita verã Religionẽ coluerũt, vt inde Catholicorũ cognomẽ retulerint. Regnũ Portugalliæ, Regnũ Britãniæ (tẽpore quo Reges ipſius erãt obſequẽtiſſimi ſedi Apoſtolicę, ſanxerũt & obſeruarũt eaſdẽ leges, quæ quotidie citantur à probatiſſimis auctoribus. Sicilia, Burgundia, Belgium & aliæ Prouinciæ habent & obſeruant eaſdẽ conſtitutiones, quas qui euertere vellet, vellet etiam neceſſariò euertere ſapientiã & æquitatẽ tot legiſlatorum, tot & tam magnorum regnorum, euertere ipſorum poteſtatẽ, & vſum tot populorũ ſibi ſubiectorum, ac ſurſum deorſum interuertere hanc orbis partẽ, (veræ religionis Chriſtianæ reſiduum,) cui non conueniunt tales motus & reuolutiones. Poteſt etiã argumentũ ſumi ęquitatis & validitatis legũ, ab exemplo maiorũ, qui quũ ſanctè Rempu. moderati ſint, & ſemper manifeſtiſſima pietatis inſignia ediderint in omnibus ſuis actionibus, nihilominus tales leges ſanxerũt iã à multis ſeculis, notantes in publicis annalibus & archiuis, immò & in publicis Reipublicæ ſtatutis in lucẽ emiſſis, quòd in omnibus præcedẽtibus ſæculis à trecentis vel quadringẽtis annis & anterioribus, ſi neceſſe eſſet eas perquirere, in his & ſimilibus caſibus, ſimiles etiã leges ſanxerũt & cõdiderũt, & prouiſiones fecerunt omnino ſimiles & eaſdẽ, ad indẽnitatẽ ſuorũ ſubditorũ, & ad ſecuritatẽ communẽ. Nihilominus tamen Romani Pontifices, qui tũc temporis ſedebant (in quibus non poteſt cenſeri fuiſſe tantam neglig entiam & tam exiguum Religionis ze-

lum,vt illis omnino detrahamus & piam curam pastoralē,& boni publici zelū) nūquā de illis legibus conquesti sunt,nec vnquam talia tentauerūt: quam ipsorum modestam possumus dicere,(pręter rationes suprà in medium allatas)à stimulo propriæ conscientiæ manasse, quia nequibant eam legem reprehendere, cuius ipsimet aliis exemplum præbuerunt. Et quis ignorat prohibitionem per ipsorum constitutiones factam Ecclesiasticis, ne vllo pacto sua bona in laicos alienent? immò cui manifestū nō est ac euidens,quòd si aliquādo hoc concessū fuit à Pōtificibus,nō fuit concessū, nisi inde prodiret (vt ipsi loquuntur) euidens vtilitas ipsorum Ecclesiasticorum,hoc est,certissimum incommodum & damnum laicorum. Quòd si alij Pontifices ius & æquitatem supradictarum legum approbarunt, iisque acquieuerunt, multo magis debebat acquiescere hodiernus Pontifex hisce vltimis, quum eas videat talibus conditionibus munitas,quæ indicium manifestissimum dent, & maioris pietatis, & maioris respectus erga Ecclesiasticos:non enim excluduntur à beneficio bonorū mobilium,& retractus immobilium iis conceditur,& pretium ipsorum cum ipso reditu; vnde & alibi, & in dominio Reipublicæ, cum Principis venia, potest illud pretium in aliis bonis impendi: in quo quilibet omnem agnoscet facilitatem,qui viderit(post illas leges latas)quoties venia data est iis qui eam petierunt. Reuocabitur ergo in dubium Reipublicæ lex tot rationibus æquitatis,iustitiæ,necessitatis innixa? exemplo totius orbis corroborata? Redigetur igitur sapientia, iustitia,pietas,religio omnium populorum,omnium Principum,omnium,prouinciarum,omniū regnorum,

rum,omnium ætatum,omnium sæculorũ,intra paucorũ pectus,qui pessima consilia suæ Sanctitati dãtes, sæpissimè manifestant se malè publico bono cõsulere? Hîc liceret exspatiari ratiocinãdo, quomodo, quando, & in quibus suprema Dei prouidentia tales virtutes infuderit; vnde colligere possimus an tales actiones, quæ tendunt ad turbas & ad discordiam, ad subuersionem pacis & quietis tot populorum, possent ab ipsis manare: Hîc etiam ratiocinari possemus, an tales actiones conformes sint hùmilitati, patientiæ, contemptui rerum mundanarum, & tot aliis virtutibus diuinis & humanis quas Christus reliquit pro vero typo & exemplari suorum successorum in sanctæ Ecclesiæ administratione.

Sed quia argumentum, de quo agitur, aliò me ducit, transeundum mihi est ad eam legem examinandam, quæ à Republica lata est, ne absque ipsius venia & consensu liceret exstruere & fabricare Monasteria, Templa, & id genus alia loca. In quo, vti spero, non minus apparebunt iustæ causæ & rationes Reipub. quàm in cap. præcedenti, vbi actum est de bonorum laicorum alienatione. Et primò, non infirmum est, immò firmissimum, argumẽtum quod ducitur ab auctoritate & scientia Professorum iuris, qui valde perspicuè, cum citationibus, tum antiquarum legum, tum earum decisionum, quas Responsa Prudentum vocãt, (quæ semper in eodem pretio ac vigore fuere cum ipsis legibus,) Principem patronum esse totius spatij, &, vt ipsi loquuntur, totius areæ quæ in suo dominio continetur affirmant: vndè apparet nemini licere in eam aream ingredi, absque ipsius Principis consensu, ac multo minus

ipsius arcæ dominum se reddere, ni Princeps id cõcedat & permittat. Addunt præterea, quòd si non licet vim afferre alicui personæ priuatæ, vt illo inuito in suas ædes ingrediamur, aut in suum agrum, quo illic fabricemus aut Templa, aut Monasteria, aut id genus alia loca cultui diuino dicata; in quo consentit omnis doctrina, consentiunt omnes leges: multo minus hæc vis potest inferri Principi, qui amplius dominiũ habet in terras, quas possidet, quàm non habet vllus priuatus aut particularis. Accidit ne vnquam, in fundum aut ædes alicuius ingressum esse aliquem, qui, sub prætextu libertatis Ecclesiasticæ, aut operum charitatis & religionis, voluerit aut cõsecrare, aut administrare sacramenta, aut mortuos terræ condere, (licet hæc omnia sint bona opera,) domino inuito, & sine ipsius consensu? nónne vi repelleretur, quicumque talia auderet? Quid dicerent particulares & priuatæ personæ, si in suis propriis domibus quispiam vellet tale dominium vsurpare? Certum est, vbi talem audaciam admirati essent, si non satis essent huic audaciæ repellendæ, (vt proculdubio repellerent, si possent) Principem adirent, quo possent, ipsius ope, illæsi & immunes à tali iniuria & offensa manere; & certissimum est iustum Principem nunquam denegaturum suas vires & suam auctoritatem iustissimis ipsorum querelis. Hoc autem, quod Princeps potest facere, vt iustè protegat ac defendat facultates sibi subiectorum, non poterit idem vt bonum decernere, siue in beneficium publicum, siue in priuatorum? Et in quo alio consistit lex, qua venia datur ædificandi, nisi vt videatur an fabrica illa fiat debito modo, & domino fundi consentiente? Qui consensus quum sit duplex,

plex, cum publica scilicet, aut cum priuata auctoritate, diligenter examinandum est, an vtraque concurrat in alienationem locorum illorum, quibus superstruuntur nouæ illæ fabricæ, & si neutra ipsarũ damnum vllum inde patiatur. At silentio prætereuntes, quo pacto priuatus possessor, aut ipsius vicinus, damnum ex eo patiantur, aut fraude, aut vi, aut aliis technis & insidiis, quibus hodie sub variis prętextibus plerique in mundo vtuntur, quo se dominos faciant alienarum facultatum; vnde familiæ integræ, & personæ sibi coniunctæ, passæ sunt, & patiuntur adhuc magna incommoda & damna; quod satis erit indicasse, nec in hoc argumento vlterius progrediemur. Iam absonum non erit, vt aliquid dicamus de publico incommodo, ad quod maturo consilio Respublica respexit. In ciuitate Veneta reperiuntur circiter centum quinquaginta fabricæ Templorum, Monasteriorum, & aliorum locorum piorum; & inter ea multa, præcipuè Monasteriorum, quæ tantum terræ occupant, siue vt commodiores sint habitationes ipsorum, siue propter annexa viridaria, claustra, hortos, vt fatendum sit ea loca medium totius ciuitatis occupare; ita vt omnes ciues, quantumuis nobiles, & magni nominis, cogantur præ illis, & præ incolis aliarum ciuitatum, multo strictiùs habitare. Nunquam tamen visi sunt conqueri de hac Ecclesiasticorum commoditate, immo id ipsum procurarunt & gratum habuerunt, quum in omnibus sæculis constructæ sint tales fabricæ impensis ipsorum, maximo gaudio & consolatione suarum animarum: quorum fidelissima documenta apparēt & in Chronicis, & in Annalibus, tam publicis, quàm priuatis: neque hanc ob rem,

neque in hunc finem sancita est hæc prouisio; est enim pietati conformis, & magnæ Religioni suorũ maiorum: immò nec hodie cessatur à fabrica nouorum Templorum & nouorum Monasteriorũ cum publica licentia, illis, post hanc legem latam, satis sæpe concessa. Quæ quidem licentia si satis liberè concessa fuit, habita inquisitione loci, personarum, & aliarum circunstantiarum, (quas, vt exigit bona administratio, necessarium est inquirere) nemo dubitare potest, quin idem etiam posthac obseruetur, non solùm Venetiis, sed etiam in omni dominio ipsius Reipublicæ: quamuis in nullo loco deficiant talia ædificia: sunt enim omnia referta nobilissimis fabricis, amplissimis Monasteriis & aliis locis operibus piis dicatis; cum ea constructionis magnificentia, & cum eo splendore & apparatu ad cultum diuinum spectante, vt inde perspicuè appareat vera Religio, quæ in pectoribus omnium incolarum residet. Sed Respublica pro scopo tantùm habuit publicam securitatem & quietem, quæ facilè turbari possent, si occasione capta à nouis Templis & nouis Monasteriis, (quæ sæpe aditum dant nouis & ignotis hominum turmis & congregationibus) libera potestas daretur introducendi nouos mores & nouas cogitationes, vnde simpliciores, tàm nobiles, quàm ignobiles, non ita muniti aduersus fraudes & deceptiones, sub variis Religionis prætextibus persuaderentur vt huic vel illi sodalitati adhærerent & inclinarent, cum non spernendo publicæ libertatis damno, & cum periculo perniciosissimorum seminum diuisionum, quæ alibi talibus artibus sunt introductæ: à quibus longè abfuit sinceritas subiectorum huiusce dominij, & vniformitas, seu potius

potius vnio huiusce administrationis, nobis adstipulante gratia Dei, & vigilantia continua publicorum & sapientum consiliorum. Et forsan hisce nostris temporibus non manifestissimè apparuerunt similes effectus? quum optimè notum sit vnicuique, quam auctoritatem sibi quæsierint, & quibus negotiis sese immiscuerint tales quædam sodalitates. Quòd si modestia non remoraretur eum qui hæc scribit, ne vlterius progrediatur, possent palam fieri multa, quæ nauseam parerent auditoribus, tanta fuit absurditas, indecentia, & forsan etiam malitia. Sed, quæso, quis Princeps ferret, vt in suo dominio, temporibus tam zelotypis, machinationibus & insidiis refertis, se sisterent, & sedes figerent, eo situ, eo loco, & iuxta quos liberet, numerus quispiam vel multitudo hominum, quos nunquam antea vidisset, immò qui ab exteris nationibus prodirent? Nónne æquum esset, vt, antequam admitterentur, notam facerent suam qualitatem, quis esset ipsorum scopus, quæ obiecta, à quo penderent, & omne id examinare, quod ad commodum & incõmodum, tum Principis, tum subiectorum, posset ab ipsis sodalitatibus deriuare? Certè non esset res sapiente Principe digna paruifacere similes considerationes & consilia, quum, sub Religionis prætextu (quæ sæpe est prò pallio aliorum finium & obiectorum) eousque processerunt quorundam opera, vt manifestè apparuerit, scopum ipsorum esse sibi obligare, & captiuas reddere animas eorũ, qui suis artibus irretiti sunt, ita vt nec auctoritas, nec potestas Principis, nec naturæ vinculum, nec vllus alius iustus respectus, eos impedire possit, quin se præcipites dent arbitrio & voluntati ipsorum lubentię in

omnibus rebus & temporalibus, & mundanis. Et ipſemet vidi in quibuſdam locis huic Reipublicæ ſubiectis tentatum fuiſſe à nonnullis ſodalitatibus quaſdam ſcholas & congregationes introducere, in quibus obligabantur omnes ij qui in iis accenſebãtur, ſæpe ſimul conuenire, iurare, & vota concipere, ſe caput ſuum ſequuturos in omni caſu, in omnem euentum, quo poſſit defendi ſodalitas illa, & conſtitutiones ipſius, publica auctoritate non exſpectata nec adhibita. Quod quidem manifeſtè apparet nihil aliud eſſe, quàm initium diuiſionis & ſeditionis occultæ, ex quibus tandem flammæ & incendia naſcantur, quæ facilè extingui nequeant. Nec longè ante noſtram ætatem fuere exceſſus enormes vnius talis Religioſorum congregationis, quam coacta fuit Reſpublica è ciuitate exterminare, vnde laudem meruit & accepit ab vniuerſo orbe. Prætereo narrare quales doctrinas cum iis artibus tentent ſpargere & ſeminare in damnum & diminutionem auctoritatis Principum, dum inſtillant eas in teneras mentes eorum, qui tandem miniſtri fiunt ſuarum cogitationum. Prætereo, inquam, illa, quia quum ſunt magni momenti & ponderis, aliam ratiocinãdi commoditatem deſiderant. Verùm, redeundo ad id de quo agitur, impoſſibile eſt vllum virum ſenſatum eſſe, qui maxima admiratione non commoueatur, quod Pontifex velit, velint Eccleſiaſtici, Rẽpublicam non inquirere nec videre ea, qua pertinent ad ſecuritatem tot ſuarum ciuitatum, tot ſuorum propugnaculorum, quæ etiamſi præſidiis muniantur, ſi cum omni vigilantia cuſtodiantur, ſi in ea expendantur immenſæ pecuniæ vt inexpugnabilia euadant, aut ſaltem quantum fieri poteſt minus expu-

expugnabilia, si exstruantur muri, aggeres, fossæ, explanationes; & alia id genus magna opera & dispẽdiosa, conuenit præterea, & necessarium est, ne ab vlla fabricarum eminentia superentur, quæ possit propugnationem ipsorum impedire, aut commoditatem afferre hostibus oppugnantibus. Si igitur voluerit quispiam Templa vel Monasteria ædificare, quæ aliquando in machinas grandes euadunt, & immensæ molis, siue sint in explanationibus, aut iuxta mœnia, intra aut extra ciuitatem, Princeps, seu Respub. id nõ poterit impedire & prohibere? Certè hoc ferendũ non est. Quòd si dicãt ipsis nõ esse eam mentem, immò volunt ædificare in loco vnde periculum non sit talem confusionem orituram, respõdeo, necessarium esse, eam distinctionem loci, temporis, & similium circunstantiarum, ab aliquo debere circumspici & considerari, nec ad alium posse pertinere cognitionem illam, quàm ad loci patronum, quum de suo periculo agatur, & de sua securitate, quæ pendere non debet ab alterius iudicio: vnde sequitur quòd possit permittere id genus fabricas, vel non; dare veniam illas extruendi, vel non: quod expressim est ipsum argumentum, & ipsa substantia legis. Nec dubitandum est, quin Respublica id facilè concedat, saluo suo interesse: nam per tot sæcula id concessit, quamuis hisce temporibus vigerent etiam similes leges hodie in vna forma, cras in altera ab ipsa Republica promulgatæ: cuius rei manifestissimã & amplissimã fidem faciunt tot Templa, tot Sacella, tot Monasteria, & tot alia religiosa loca; quibus referta est ipsa Venetiarũ ciuitas, & omnes aliæ sui dominij ciuitates: quæ quidem omnia non solùm fabricata sunt publico assensu; sed & ab ipso publico, & vniuersim; & particulatim maiori

ex parte adiuta fuere, & dotata diuitiis illis & reditibus, quorum supra mentio facta est. Quæ quidem diuitiæ, si tot sint, ac tantæ, vt commodè & affatim possint satis esse ad alendum sacerdotum & Religiosorum numerum, duplo aut triplo maiorem eo qui hodie verè inseruit cultui diuino, forsan æquũ esset vt magni Principes, Reges, & Imperatores, animaduerterent, potius (vt & olim animaduersum est,) vt æquior aliqua distributio eorum redituum fieret, & melior aliquis modus institueretur ad alimentum eorum qui Templis inseruiunt, quàm ad tantam facilitatem noua construendi. Præterea, quum multi Religiosi, & multi Monachi veterum institutionum, viri boni, careant hodie reditibus Ecclesiasticis, & necesse sit ipsos nutriri & sustentari ab eleemosinis, quæ quotidie ipsis erogantur à pietate & religione laicorum, vt & ab ipsismet sæpissimè reparantur & adornantur Templa: ac inde timendum sit, quum vires ipsorum laicorũ non sint infinitæ, sed terminatæ, & limitatę intra certos cancellos, aduertendum est, quòd si laici satis non sint ad sustentandos eos qui iamdudum erecti sunt, & eos qui de nouo introduci possunt, & hi & illi absque alimento remanerent, id quod potiùs scandalum, quàm ædificationem afferret: acciderétque vt qui nuper admissi & introducti sunt, veteres ad paupertatem redigerent; veteres, inquam, qui per longam annorum periodum pietatis suæ manifesta indicia dedere. Quod quidem, quum ne tantillum quidem iustitiæ in se haberet, ita maximum populis fastidium gigneret, qui se viderent expoliatos iis religionibus, & iis personis, quæ per multas ætates præteritas, & per multa sæcula, tantum laborauerunt

runt in beneficium religionis, cum tot bonis operibus ad cultum Dei spectantibus, quæ manifestum est ab iis prodiisse. Et quis nescit, quis ignorat qualem fructum, quantum beneficium Mundo attulerint religiones notę & probatæ? Quòd si de quibusdam fundatoribus ipsarum veterum religionum scriptum est, quòd, per visiones Romanis Pontificibus manifestatas, deberent Ecclesiam cadentem fulcire, æquúmne videtur, quum & per ipsos sanctificatos, & per ipsorum discipulos, qui præceptorum vestigiis institerunt, id forsan, quod per illas visiones prædicebatur, impletum fuit per ipsorum doctrinam, pietatem, humilitatem, vitæ sanctitatē, & id genus alias virtutes, quibus Deus illos ornauerat, æquúmne est, inquam, illos in tantum contemptum venisse vt dum parum curamus ipsorum conseruationem, ab vna parte nobis grauem ingratitudinis notam inuramus, ab alia parum prudentes simus, ne dicam leues & inconstantes, dum relicto bono certo & securo, incertum, & forsan periculosum sequimur. Nec prætereundum est, quòd quum Venetiis sit, & in vniuerso Reipublicæ dominio, maximus numerus Monasteriorum, in quibus Moniales Deo dicatæ cum perpetuo virginitatis voto, continuas preces fundunt ad impetrādam diuinam clementiam & misericordiam, impium & inhumanum esset illas priuare assiduis illis erogationibus quas habent à sola laicorum charitate: quod proculdubio fieret, si adiectione aliorum Monasteriorum personis nouis dicatorum, eleemosinæ, & aliæ subuentiones, quibus sustentantur, aliò impenderētur. Quòd si Pontifex voti sui compos fieret, videor perspicere tot Virgines, tot Religiosos, de hac ciui-

tate & de tot aliis benemeritos, ob suas continuas orationes, & ob sua ieiunia toties repetita, se cum lacrimis sistere coram ipsa Republica, & coram populis sibi à Deo cõmissis, dicentes, se iuxta obligationem suæ natiuitatis, iuxta votum ab ipsis conceptum, in se semper habuisse manifesta amoris & affectus signa erga patriam, & quantum fieri potuit, & quantum tulit ipsorum infirmitas, Deum reueritos esse, fidem seruasse, cursum suum absoluisse. Iam verò se videntes derelictos esse, & charitate ipsiusmet patriæ priuatos, in manus Dei reponunt iustitiam suæ causæ. Et quid aliud è cælo nobis expectandum est, nisi iustam tantæ impietatis vindictam? Verùm hoc certè non ita succedet. Nam Respublica, & ij qui eam moderantur, nunquam tot insignes abusus tolerabunt, tot horrendas confusiones: immò spero ipsummet Pontificem, necnon & Ecclesiasticos, (postquam perspecta habuerint tot iura, rationes tanti ponderis, ac tanti momenti,) sententiam mutaturos: Non dedecet enim vel sapientissimos sententiam mutare, quando manifestum est, in melius posse mutari. Quod ad hoc caput attinet, addam adhuc quàm breuiter fieri poterit, duas rationes, quæ mihi satis prægnantes videntur. Prima est, quòd ex introductione nouorum Templorum, nouarum Religionum, nouorũ Monasteriorum, non solùm imminuta sunt quamplurima ex veteribus, sed etiam quia in vnius fiduciam reditus ipsorum Templorum & Monasteriorum traditi sunt) maximo totius orbis scandalo derelicta sunt hodie Templa, derelicta Monasteria, cultus diuinus prętermissus: idque quod impendendum erat in ipsorum Templorum ac Monasteriorum confer-

conſeruationem, & reſtaurationem, in educationem ſacerdotum ac in pauperum leuamen, ſæpiſſimè impēdatur in id quod ex diametro pugnat cum hac intentione: vnde certiſſimè apparet, quòd ex quo nouæ Religiones & noua Monaſteria prodeunt, ex eo ſeſe offert occaſio reditus antiquorum in fiduciam tradendi, hoc eſt, bona, à laicis impertita, in alium prorſus vſum conuertendi, quàm deſtinata fuerant. Altera ratio eſt, quòd quum hæ Reip. Venetæ leges, eodem argumento variis temporibus latæ (vt enim vetuſtiores miſſas faciam, anno 1337. anno 1459. anno 1515. necnon & anno 1561. ſimiles leges conditæ fuere) nullum detrimentum attulerint nec cultui diuino, nec perſonis Eccleſiaſticis: & quum nullus alius Pontifex de iis conqueſtus ſit: immò ſi tot ſui præſeſſores illas habuerint pro bonis & iuridicis (quomodo enim illis non notæ fuiſſent, qui aſſiduè ſuos Nuncios Venetiis habuerunt, qui illas audierunt, viderunt, & ſilentio ſuo approbarunt? cui bono, obſecro, nonnullis in mentem venit, ſuæ Sanctitati perſuadere, vt tot motus, tot rumores hac de re faceret? ni forſan velint vt ad verbum ſuum, ad iuſſum ſuum cedant & cadant omnes Principatus, omnia Regna, omnes Reſpublicæ: quæ quidem intentio adeò exorbitans eſt & extra metas, vt præter quam aduerſatur doctrinæ Chriſti, & omnibus iuribus, pro certo debent ſtatuere rem hanc à nullo vnquam toleratam iri, nec admiſſam hucuſque credo me ea dixiſſe, quæ poſſint manifeſtum ac patens reddere ius Reipub. Venetæ circa haſce leges à ſe conditas. Veniamus iam ad iudicia, quæ Pontifex exiſtimat non ſecundùm rationem lata

fuisse: iudicia, inquam, quibus animaduersum est in impios & sceleratos, qui sub veste clericali volebant impium scelus suum nulli pœnæ obnoxium esse. Valde mirum est, Sanctitatem suam ista cogitasse tempore & occasione indecenti, & pro iis, qui (vt ex ipsorum culpa apparet) tantum abest vt protectionem Ecclesiasticam mereantur, vt potiùs in ipsorum delicta seuerissimè inquiri debeat. Vnus ipsorum reus est quòd voluerit contaminare honestatem & pudicitiam honestæ & nobilis fœminæ, sibi conterraneæ & consanguineæ, quæ quidem repulit ipsius libidinem & effrenem appetitum vnicuique notum Vicentiæ non sine scandalo: (nam & in publicis viis & in ipsis Templis nunquam puduit eum manifesta signa edere & suæ audaciæ & suæ impudentiæ.) Tentauit etiam varias alias insidias, quas tamen nequiuit ad optatum finem perducere. Reus est præterea, quòd stomacho & vindicta instigatus, fœdè deturparit ædes illius nobilis, eodem prorsus modo, quo impudentes & infames ex plebe, vilem & abiectum finem sibi statuentes, suas iniurias turpiter & dedecorosè vlciscuntur. Reus agitur etiam, quòd lacerarit mandata & rescripta publica nonnullis locis affixa quibus diui Marci sigillum appositum erat, ídque cum magno contemptu, vt ipsius verba indicabant: crimen scilicet læsæ maiestatis incurrens.

Alter arcessitur criminibus adeò nefandis, vt sine maximo horrore nec audiri, nec scribi, nec cogitari possint. Pudicitiam multarum mulierum violare habetur pro maximo delicto in personis Ecclesiasticis, licet ad Sacerdotij ordines non peruenerint. Sed vbi non satis illis est abuti mulieribus

solutis

ſolutis, quas vocant: ſed in matrimonij contemptum manifeſti adulteri fiunt, hæc multo maior culpa eſt. Vt verò id illis liberum ſit, ſi vita priuent maritos, & ipſorum conſanguineos & affines, id nónne eſt extrema crudelitas? Haſce verò nefandas cogitationes ſæpius exequi venenis ſibi in hunc finem familiaribus, omnem humanitatis metam excedit. Sed, vt tandem finem faciam, nihili facere coniunctionem arctiſſimam & religioſiſſimam, quæ intercedit fratri cum ſorore, vt poſſit diabolicam libidinem ſuam explere, nónne id crimen eſt adeò nefandum & abominandum, vt feris potius conueniat, quàm vlli homini, quantumuis vitioſo & ſcelerato, niſi ei,qui, humanitate prorſus depoſita,fera totus factus ſit?Hodie,in gratiam horum (de quibus licet vltima non ſit lata ſententia, attamen magnis & manifeſtis indiciis apparet ipſos ſupradictorum criminum vltra modum ſuſpectos eſſe) In horum, inquam, gratiam, venit in mentem Pontifici vt cum Republica Veneta certaret, ad id impulſus, vt creditur zelo iuriſdictionis Eccleſiaſticę immò(vt verius loquar) ſuggeſtionibus & ſtimulis nonnullorum: qui id tacentes quod notum ſuæ Sanctitati fieri debebat id effutierunt,quod aut tacẽdum erat,aut aliter interpretandum. Vnde apparet, ſi vlla pro Pontifice adduci poteſt excuſatio, quod ita temerè ſe præcipitarit in haſce controuerſias, quæ Chriſtianum orbem euertere penitus poſſunt,hanc ſolam, nec vllã aliam locum habere, quòd ſcilicet parũ veris & paſſionibus refertis delationibus imbutus fuerit, ſuper quibus,vt zelo plenus eſt,ſuas ratiocinationes ſundauerit. In quo quidem deflenda eſt miſera horum

temporum conditio. Si enim accidisset vt hic bonus suæ Sanctitatis zelus, dilatione aliqua ad diuturnitatem sui Pontificatus conditus fuisset, potuisset, vt est discretus & longanimis, dignoscere meliùs quàm quisquam alius, proprium & decens esse suo magno ministerio, necnon rationibus & negotiis tanti ponderis & tam magni momenti, cognoscere & discernere tempora, locos & personas, aurem præbere sapientibus, fidis, & intelligētibus: respuere verò astutos, vafros, parum fidos, & passionibus refertos. Imò sperandum est, Pontificem ipsum, (semet in consilium ascito, iisque de quibus hodie certior factus est, attentè perspectis & consideratis) ad se reuersurum, & via priore derelicta ad eam reuersurum ad quam ius & æquum eum vocant, vocat pax & quies non solùm Italię, sed etiam totius Christiani orbis, vocat conseruatio veræ Religionis, quę in hisce motibus magnum periculum incurrit ne aliquo modo labefactetur. Verùm quæso, nónne satius erat eos, qui harum turbarum auctores sint, sincerè exhibere crimina duorum supra nominatorū prout sese habent, potiùs quàm ipsorum culpam imminuere? Cur, dum ipsorum conditionem exaltant, nullam mentionem faciunt prauæ ipsorum qualitatis, prauæ consuetudinis? Cur etiam non dixerunt, (quamuis non esset necesse) statum ipsorum esse ad instar laicorum, quum præter vestem malè ab ipsis gestam nihil aliud in se haberet, quod Ecclesiasticum redoleret, nisi nomē? Cur tacuerunt tolerantiam subiectorum Reipub. & præcipuè eorum, quos isti tam miris modis offenderunt? Quare non horum magnam patientiam, & silen-

lentium in tantis iniuriis, prædicarunt? Iustè etiam poterant & verè affirmare suæ Sanctitati, ius, vsum & consuetudinẽ immemorabilem, exigere à Republica, vt similia delicta, etiam in personis Ecclesiasticis, puniat & castiget, quũ sciat & agnoscat se suã auctoritatẽ à Deo solo habere. Debebant etiam addere talem vsum & talem consuetudinem plerisque Pontificibus probatam fuisse, qui eam pro bona & sancta habuerunt, vt apparet ex variis ipsorum Breuibus & Rescriptis. Iustum ad hæc erat, vt postquã ipsis compertum esset de hoc vsu & consuetudine, & de iis quæ in dictis Breuibus habebantur, suæ Sanctitati notum facerent, exercitium huiusce iurisdictionis non solùm Venetiis obseruari, sed etiam in omnibus aliis sui Dominii ciuitatibus. Quòd si plenè hoc compertum ipsis non erat, multo consultiùs & prudentiùs fecissent si exactam hac de re inquisitionem habuissent, nec ita temerè suam Sanctitatem imbuissent falsis & veritati contrariis delationibus. Iam quum id quod fieri debuit factum non est, forsan non intempestiuum erit id hodie manifestum facere in omnem bonũ euentum. Et quũ suprà satis dictũ sit de iis quæ culpam reorũ spectãt, non absonum erit hoc argumentum perpendere ita vt decet. Primò videndum est, an licuerit Magistratui nihili facere querimonias sibi subiectorũ aut illos ad aliud tribunal reiicere, contra id quod fieri consueuit omnibus sæculis, & in omnibus similibus casibus, Magistratui, inquam, qui Rempub. debet bene administrare, & qui suis subiectis tenetur ius reddere. Et quid aliud fuisset, huic negotio manus non adhibere, dum è longinquis terris remedium

expectatur, quàm suos subditos deserere, eosque ad certam desperationem adigere iniurias sibi illatas nunquam punitas iri? Debebunt ergo Reipub. Venetæ subiecti, iniuriis affecti tam grauibus & tanti momenti, se sistere coram personis & tribunalibus tam longinquis, sibi ignotis, magno suo incommodo, magno dispendio, immò cum integra sua pernicie, vt iudicium accipiant ab extraneo Principe, aut ipsius ministris, quod vel nihilum, vel tantillum possit sua damna sarcire? Et quis ignorat quo tandem vergant sæpe Ecclesiasticorum iudicia post tot & per tot annos exantlatos labores ab iis qui se coram ipsis sistunt? Et quale cōmodum sentiet qui iniuria affectus est vel in vita, vel in honore, vel in facultatibus, si viderit eum à quo offensus, & iniuria affectus est, nullam aliam pœnam subiisse, nisi pœnitentiam quampiam salutarem, aut aliud quid simile, quòd quidem salutem animæ respicit, verùm nec restituit in integrum eum qui læsus est, nec ipsius necessitatibus prouidet? Quòd si inquiant, in certis casibus reum restitui brachio sæculari, ex eo manifestè apparet tales culpas, & tales pœnas & condemnationes ex iure competere iis qui rebus temporalibus & mundanis præsunt, non autem iis qui solam curam spiritualiū habent in ditionibus aliorū Principū. Quòd si denuo dicūt Iudicē status aut dominij Ecclesiastici (qui in similibus casibus est merus Iudex tēporalis) legitimū & aptū esse ad delicta enormia castiganda, multo melius id exequetur Princeps, aut ministri ipsius, qui ex naturali sua auctoritate meliùs norunt, & magis sigillatim diiudicāt de omnibus accidētibus quæ sunt vel de iure, vel de facto, quæ spectant vsum & consuetudi-

tudinẽ loci,& omnes alias conſiderationes,quæ coincidunt ad bonũ rectũ, & iuſtũ iudiciũ ferendum. Debebunt ergo tyrãnicè oppreſſi à nõnullis diſcolis Eccleſiaſticis, ſe Romæ ſiſtere coram miniſtris Pontificiis, vt ſibi ius reddatur vel ſuper nece ſuorum conſanguineorum vel affinium, ſuper vi illata, ſuper ſpoliatione, tum famæ,tum facultatum ? Hoc certè eſſet perdere omnes ſubditos, quum illis non liceret,in vrgentibus ſuis neceſſitatibus, ad propriũ Principem prouocare, & ab ipſo iuuari & protegi: ac ex hoc accideret, vt amor & timor, qui Principi debentur, in prauum affectum, immò & in odium conuerterentur. Immò certiſſimum eſt], niſi in hoc caſu admitterentur, & ipſis liceret ſuas querimonias exponere, ad eam deſperationem redactos iri, vt propriis manibus iniurias ſuas vlciſcerentur,& eas pœnas exigerent quas ab extraneo magiſtratu conſequi nequiuiſſent: idque maximo cum ſcandalo,& periculoſo contemptu,non ſolùm perſonarum,ſed etiam totius ordinis. Túncque neſcio an Princeps deberet, vel forſan poſſet,illis fræ- num imponere:Quòd ſi id tentaret, mitius erga illos ſe gereret ratione habita iuris denegati, vel ſaltem non redditi. Et quis non videt,in caſibus ſuprà narratis, quàm mirè affligerentur & angerentur animi eorum,qui tot ac tantis iniuriis affecti eſſent, cædibus,veneficiis, & id genus aliis, ſi iis via occluderetur Principem ſuum adeundi, quo poſſent à tam tyrannica oppreſſione liberari?Et quis ignorat quamplurimos alios,quum exemplo priorum viderent ſe non poſſe iuuari, &,protegi ad id adactos iri vt collum iugo ſubmitterent,& de ſua ſalute deſperantes, vnicum ſolatium in deflendis ſuis miſeriis & infortuniis haberent? Quis præterea non vi-

det, ciuitatem Vicentinam (nobilitate refertam, & populo viuacissimo, qui qualibet occasione arma ca pessit) periculum tumultus & dissensionis facilè incursurā, & pungens hęc controuersia de fama fuisset prætermissa & neglecta? Et quale exemplū daretur aliis vt obedirent & reuererentur publica mandata & publica scripta, si impuniti manerent ij, qui ea i- ta turpiter contempserunt & spreti sunt? Quælibet ciuitas facilè perturbatur & ciues ipsius in varias partes eant, si in potestate Principis non est huic malo remedium afferre per iustitiæ ministros. Reperientur ne, qui non solùm contumaces erunt ipsius imperiis, immò ea contemnent, ea calcabunt, quasi vellent ipsius dominationem excutere, & Principi non licebit ipsos castigare, ipsos punire? Quid tandem fiet de imperio & dominatione sua? Regnum duos non capit. Omnes prudentes politici, qui sæculis anteactis vixerunt, nullam aliam doctrinam agnouerunt. Quòd si hoc examinaretur cum vera nostræ Religionis doctrina, cum præceptis & exemplo Christi, suorum discipulorum, omnium sanctorum patrum & Doctorum sanctæ Ecclesiæ, multò faciliùs hæc innotescerent, quoad spectant ad res mundanas & temporales. Verùm non constitui in hasce considerationes ingredi: alius forsan de istis opportunè differet. Satis mihi erit dixisse, Ciuitatem è Ciuibus conflatam esse: Ciues autem sunt ij, qui Ciuitatis beneficio fruuntur, dum inter se pacatè viuunt, dum ab iniuriis extraneorum defenduntur, dum sentiunt facultates & fortunas suas sartas tectas esse: in summa dum fruuntur iis bonis, ea felicitate, ad quam adipiscendam ciuium communiones institutę sunt.

Verùm

Verùm nihil horum assequi possumus absque ope legùm municipalium & bonorum statutorum, & absque iurisdictionibus & iudiciis. Hic est ordo naturalis & essentialis, qui in omnibus ciuitatibus obseruari debet. A quo si quisquam immunis fiat in aliquo particulari casu, vel ob proprium meritum, vel ob aliam legitimam considerationem, tenetur agnoscere potestatem, munificentiam & liberalitatem illius qui eam immunitatem illi concedere potuit, assensúmque suum præstare debet. Sed qui tali immunitate caret, & qui in omnibus commoditatibus, quæ hanc ciuilem vitam spectant, frui vult ciuis priuilegio, is naturâ debet se submittere legibus & statutis, quibus præmium probis statuitur, pœna verò & castigatio reprobis. Et ex hoc iure, quod habent imperia, ciuitates, & Principes in suos ciues, (quod quidem ius non imminutum fuit à Christo, sed confirmatum, vtpote qui noluit regna è terris tollere, immò affirmauit se nolle vllo pacto ipsorum participem fieri in eo quod res mundanas & temporales spectat) ex hoc, in quam, iure manifestissimè apparet Rempublicam Venetam, vt Principem liberum, qui à nemine pendet, ex natura sui Principatus, auctoritatem habere in omnes suos subditos indifferenter. Quòd si in quosdam ea vti noluit sua spontanea voluntate, effectis potiùs manifestata, quàm decretis, ex eo non sequitur illam non posse ea vti. Sed si in aliis temporibus credidit ita sibi agendum esse, vt magnum argumentum daret illius respectus, quem in casibus leuibus voluit deferre personis, qui aliam ob causam talem respectum demerebantur. Et licet Imperatores & Reges in suis Regnis & Prouinciis Ecclesiasticos exeme-

runt à sua iurisdictione,non tamen id fuit in omnibus casibus:Sæpe enim vsu venit vt in Ecclesiasticos animaduerterent:negari nequit Rempub. Venetam,(Princeps & ipsa tantæ amplitudinis & dignitatis,& quæ immediatè Reges sequitur) sua iurisdictione vti potuisse,vt reuera vsa est. Et si boni auctores, tum Theologi, tum Iureconsulti affirmant, exemptionem Ecclesiasticorum manasse à concessione & priuilegio Principum, vt ex ipsorum rescriptis apparet, hoc quidem locum habet in propriis ipsorum ditionibus. Verùm in dominio Reipublicæ,quæ semper libera fuit,locum non habet tale Priuilegium,nisi appareat ipsius concessio:quæ quum non appareat,sed tantùm constet de vsu & consuetudine:quare à contrario locum non habebit idem vsus & eadem consuetudo in beneficium ipsius Reipub.quæ ea vsa est, & continuè ipsam exercuit in casibus magni momenti? Iurisdictionem in Ecclesiasticos in multis quidem casibus dereliquit, sed in grauioribus auctoritatem suam sibi conseruauit. Quod manifestè apparebit ex consuetudine à Republica obseruata in sua administratione per tot ac tot sæcula, vt cuiuis notum est. Præterea agnoscit Respublica se dominium suum à solo Deo habere, quod ipsi est ius fundamentale.Hæc consuetudo adeò æqua, quæ vim legis habet, quæ tot iustis & prægnantibus rationibus fulta est, quæ per tot annos,per tot ætates obseruata est,hodie ne in dubiũ vocabitur? Et quid dici poterit firmum & stabile sub cælo,si hæc consuetudo, corroborata per cursum mille annorum & amplius hodie controuertatur? Vniformis administratio huiusce Reipublicæ

ea est,

ea eſt,vt præter laudem quæ ipſi,eam ob rem , tribuitur,etiam in admirationem trahat extremas orbis partes:& nihilominus hodie reperiuntur , qui hanc identitatem continuatam audent corrigere & emendare.Omnes Principes , omnes populi illam laudarunt & commendarunt,& in caſu, quo de agitur,omnes prædefuncti Pontifices, & quidam inter ipſos præcipuis ſcripturis & Breuibus: & nihilominus hodiernus Pontifex, parui faciens iudicium vniuerſale,& præcipuè ſuorum præſeſſorum , illam conſuetudinem infringere & vituperare molitur. Iam verò quum de facto & vſu talis iuriſdictionis dubitari nequeat,quum conſtet toties animaduerſum eſſe in capita reorum atrocium & enormium criminum,non ſolùm Venetiis , ſed etiam in aliis ſui dominij locis,(res nota cuilibet hominum generi,)non abs re erit indicare,eſſe in Archiuis Reipublicæ multa Breuia variorum Pontificum , ſcilicet Sixti quarti,Innocentij octaui,Alexandri ſexti,Pauli tertij,& aliorum,in quibus duo ſunt manifeſtiſſimè expreſſa:Vnum , Conſuetudinem ſupradictorum iudiciorum cenſeri laudabilem & bonam , & quæ originem habeat legalem & canonicam.Alterum quòd mandatum ſit Patriarchis,& ipſorum vicariis,ne illam conſuetudinem interrumpât, immò potiùs interſint examini reorum, vbi vocati fuerint:cuius commiſſionis hæc ratio redditur , ipſorum præſentiam neceſſariam eſſe , vt rei merè Eccleſiaſtici poſſint liberè indicare conſcios delictorum,nec tamen ob id incurrant in irregularitatis cenſuram. Ex quo concludi poteſt Pontifices illos autoritatem Iudicis laici habuiſſe pro bona & iuſta , tantum abeſt vt illam voluerint arguere vel

coercere. Affirmant præterea Breuia illa, auctoritatem illam non solùm locum habere Venetiis, sed etiam in vniuerso totius Reipub. dominio, idque ita perspicuè vt nihil supra. Et ex sola lectura ipsorum Breuium quiuis, etiam iudicij mediocris, facilè intelliget, quòd qui ista in dubium vocant, ij nodũ in scirpo quærunt, & scrupulum afferunt vbi & cũ quibus non deberent: Nam satis esset suæ Sanctitati, immò pergratum ipsi deberet esse, ius exerceri, & reos puniri & castigari, vt de medio tolleretur scandalum & opprobrium, quod orbi afferunt tales impij & scelerati: in summa, vt exemplo ipsorum castigationis & pœnæ, inflictæ & adhibitæ in iisinet locis vbi delicta adeò enormia cõmissa sunt, absterriti alij abstinerent à similibus culpis, & à vita tam dedecorosa. Quòd ad integritatem ipsius Reipub. in iure dicundo attinet, nemo est qui de ea dubitare possit: Id enim apertè testantur, non solummodo spontanea & voluntaria deditio tot populorum, (qui se ditioni huiusce Reipublicę submiserunt, tum multis aliis de causis, tum præcipuè ob æquitatem ipsius in iure distribuendo:) sed etiam natura, qualitas, & mores Iudicũ: ipsorũ æquitas & moderatio: numerus eorum qui huic muneri destinantur, potestas quæ reis impertitur ex legibus antiquissimis, vt se defendere possint, & pleræque aliæ cõditiones & circumstantiæ, quæ ipsam charam reddant, non solùm subditis, sed etiam exteris, quum ex remotissimis terris nobilissimæ ciuitates & populi ipsã accesserint, vt ad ipsius normam, vsum & administrationem iuris in suo dominio stabilirent. Hæc omnia possent fulcire æquitatem iurisdictionis Venetæ: sed quia necesse non est in hisce immorari, quæ, vt dictum

vt dictum est, in dubium non cadunt, præcipuè quum satis dixerim hac in parte pro Reipublicæ iure: Iam transeo ad ea quæ priùs dixeram, scilicet vt dissoluam paucas illas & debilissimas rationes, quibus innituntur Ecclesiastici dum fulcire volunt sua axiomata: deinde nonnulla etiam de lege ab ipsis dicta, *de bonis emphyteoticis*. Atque ita finem imponam huic Apologiæ. Omnes ipsorum rationes solo hoc & vnico fundamento nituntur, leges scilicet Reipublicæ, & iudicia ab ipsa lata in Clericos, etiam in casibus grauibus & atrocibus, esse aduersus libertatem Ecclesiasticam: cui contraire, à Canonibus prohibetur: parùm piè & religiosè agi cum eis dum à maiori acquisitione bonorum temporalium arcentur: dúmque impediuntur, ne noua templa construant: quæ quidem omnia dicunt probari scriptis professorum iuris. Quod ad hanc libertatem Ecclesiasticam attinet, amplus nobis daretur campus, si de ea vellemus ratiocinari. Nam hucusque non apparet fuisse decisum & determinatum, in quo verè consistat, & variè sunt sententiæ eorum qui de ipsius definitione loquuti sunt: alij enim volunt illam spectare priuilegiorum conseruationem: alii vt ipsis conseruetur id quod iure communi ad ipsos pertinet: alij verò ne quicquam in ipsos liceat, quod eos meticulosiores reddat, laicos verò audaciores. Vera libertas Ecclesiastica sumenda est ab ea quam ipse Christus habere voluit, & ipsius discipuli, & à doctrina Euangelica, & à reliqua Scriptura ab ipso manifestata in suo testamento, & ab Ecclesia in suis sanctissimis, venerandis, & generalibus Conciliis, verè dicta Canonica ab ipso Canonis nomine. Sed quia labor

hic esset longioris temporis, & quia forsan alij licebit huic tam bono operi vacare, mihi satis erit dixisse id quod manifestissimè apparet, Ecclesiasticos scilicet velle aliunde suam libertatem deriuare: vellent enim sibi licere operari & agere liberè, ne dicam licentiosè, omne id quod ipsis placeret & arrideret. Alij è contra credunt, & pro certo habent, illam licentiam ferri non debere, nec tolerari: nullum enim Canonem reperiunt, nec vllam doctrinam Catholicam, quæ illis libertatem impertiat, vllum iniuriandi vel offendendi, delicta patrandi in perniciem Reipub. seu priuatorum. Libertas Ecclesiastica nihil aliud est quàm ipsius Ecclesiæ libertas: & Ecclesiastici, (qui, si veri Ecclesiastici sunt, sunt pars & ministri ipsius Ecclesiæ) nullam aliam libertatem protendere debent, quàm libertatem ipsius Ecclesiæ: libertas autem Ecclesiæ est ea qua debet frui in proprio ministerio, docere scilicet, & operari doctrinam & præcepta Christi, suorum Apostolorum, & sanctæ Ecclesiæ: & qui executionem ipsius ministerij remoratur, is sese opponit libertati Ecclesiasticæ. Iam, quis potest dicere, Rempublicam impedisse vel minimum opus quod ad talem scopum vergeret? quod tantum abest vt fecerit, quin potiùs contrarium prorsus ab ipsa factum est: quod manifestissimè apparet ex iis quæ suprà amplissimè dicta sunt: nam vel ab ipsa sua origine semper in corde & in operibus Religionem Christianam habuit, & vt longè latéque dilataretur procurauit, eámque protexit ac defendit in longè à se dissitis terris cum maxima sanguinis suorum ciuium effusione, cum maxima thesaurorum suorum

rum

rum profufione: quorum ampliffimam fidem faciunt expeditiones in terram fanctam aduerfus infideles: in Conftantinopolim aduerfus inobedientes Ecclefiæ Romanæ defenfiones terræ Chriftianæ aduerfus Saracenos iteratæ ac reiteratæ per longiffimam annorum feriem: Suppetiæ latæ Romanis Pontificibus aduerfus maiores orbis potestates & Principatus: reintegratio Pontificum in fuam fedem:& (vt tandem hunc fermonem finiam) tot labores,tot ærumnæ,quas, vt antiquiora tempora miffa faciam,à ducentis annis fuftinet, exiftens agger & murus non inutilis aduerfus impetum immenfarum virium illius,qui abfque obftaculo,quod illi Refpublica Veneta oppofuit,& quotidie opponit,feciffet forfan lachrymabilis progreffus aduerfus orbem Chriftianum. Iuuit ergo magnopere libertatem Ecclefiafticam Refpublica Veneta, tantum abeft vt eam impedierit. Curauit fiquidem & voluit vt Religio Chriftiana dilataretur, conferuaretur & protegeretur: voluit vt quodlibet Ecclefiæ minifterium liberè exerceretur: voluit vt fana doctrina, conciones, Sacramentorum adminiftratio, & omne aliud officium ad fidelium falutem fpectans, & ad cultum Diuinum admitteretur non tantum à fuis, fed etiam ab exteris: viam dedit miniftris illarum fanctarum &vtilium operationum(bonis fcilicet Ecclefiafticis) qua commodè poffent fuftentari: Exftruxit Templa & Monafteria, illa dotauit multis thefauris:non tantùmodo ob ampliffimas facultates quas poffident, fed quia illa ditauit venerandis tot Sanctorum reliquiis, quas in fingularis pietatis fignũ, è longinquis terris accerfiuit,tranftulit, & in ipfis

templis locauit. Quomodo ergo poteſt argui, quòd libertatem Eccleſiaſticam impedire voluerit? Vult quidem impedire prauas & ſceleratas actiones, quæ tantum abeſt vt ſint Eccleſiaſticæ aut ſpirituales, quin potiùs merè ſunt carnales & mundanæ, nihilque habent commune cum Eccleſiaſtico aut ſpirituali, immò ex diametro pugnant. Vult habere in ſuo dominio & ditione tot Templa, tot Monaſteria, tot Sacerdotes & Religioſos, qui abundè & largè ſatis ſint ad ſpiritualiter moderandos ſuos populos & ſubditos: vult præterea vt ij magnis diuitiis & magnis commodis polleant: ſed vt Templa & Monaſteria occupent omne ſolum, & omnes facultates in miniſtros ipſorum tranſeant, vnde è contra ſpoliati ſint ſubditi Reipub. omnibus ſuis facultatibus, &, ad paupertatem radacti, nudi ſuper nuda terra iaceant, vnde vires publicæ ad nihildum prorſus reducantur, hoc quidē nec iuſtū, nec conueniēs cenſet, nec promittere poteſt. Quòd ſi prima fronte appareat Canonem aliquem ſentire contra Reip. decretum adeò iuſtum & æquum facilè huic obiectioni reſpondetur à Profeſſoribus ipſorum canonum, qui dicunt, in ipſis prohiberi ſtatuta & Decreta Principum, quæ prohibent vniuerſum commercium cum Eccleſiaſticis, & quæ illis modū viuendi auferunt, nolentes vt laici illis panem vel vinum vendant, grana ſua molant, vel tale quid ipſis ſubminiſtrent, quod vitæ & ſuſtentamento ipſorum vſui ſit. Præterea multi cenſent, tales Canones locū non habere niſi contra ea ſtatuta & leges, quæ generaliter & abſolutè, & abſque legitima cauſa prohibēt alienationē bonorū laicorū in Eccleſiaſticos. Alij affirmant, ſtatuta Principū ab illis Canonibus infir-

infirmata non esse, nisi quādo apparet aut cōiicitur ipsa lata esse in Ecclesiasticorum odium, aut quòd prima intentio & scopus legislatoris, sit illis damnum aut incommodum afferre. Quæ quidem circumstantiæ sunt protsus alienæ à legibus Reipub. Venetæ: Leges enim illæ non prohibent absolutè alienationem illam, aut constructionem nouorum Templorum aut Monasteriorum, sed solummodo ne fiant absque Principis licētia. Nec dici potest illas absque iusta causa latas esse, quum ex narratione, quæ de ipsis facta est, appareat non vnam, sed plures, & maximi pōderis causas occasionem deesse cur conderentur. Est præterea apertissima & certissima hæc veritas, in illis legibus nullā mentionē fieri bonorum Ecclesiasticorum, aut cōmoditatum ipsorum, nec colligi potest vllo modo hunc scopum habuisse legislatores: sed tantummodo fit mentio bonorum laicorum, & ad personas laicas dirigūtur, quibus regula & norma proscribitur de suis bonis disponendi potiùs in hunc modum quàm in alium. Quòd si ex commodo laicorum emanaret secundariò, & propter legislatoris mentem, incommodum aliquod Ecclesiasticis, quomodo ex eo culpari potest legislator? Verùm, quæso, ad hæc mihi respondeatur: Si priuata persona, si paterfamiliàs normam velit suæ domui præscribere, suæ mulieri, suis filiis, sanciat, vt ex suis facultatibus tantum impendatur, in fabricas, tantum in victum, tantum in vestimenta, tantum in eleemosinas pauperibus Ecclesiasticis erogandas: & pro incremento aut detrimento facultatum suarum, mutet etiam & variet legem illarum impensarum, poterit aut debebit Ecclesiasticus ille, cui priùs

impertiebantur tantæ eleemosynæ, conqueri & arguere patrem illum familiæ quòd malè agat? Poterítne dicere talem imminutionem aut restrictionem esse contra libertatem Ecclesiasticam? Princeps est paterfamilias, dispensat in tempore & loco facultates suas, facultates subditorum, fabricat Templa, solum concedit in sua ciuitate, in suo dominio, dat possessiones & reditus in magna copia, cum magna pietate & Religione: animaduertit, manus suas satis liberales fuisse: si vlteriùs progrediatur, familiam suam, (populum scilicet suum) grauiter læsam iri. Eadem pietas, eadem religio, & iustitia, illi auctores sunt vt frænum suæ liberalitati imponat. Dicit tamen suis liberis (nam subditi ipsius illi sunt liberorum vice, & illis vt liberis moderatur) ne easdem quas antea impensas faciant, se velle videre & audire suas dispensationes, vetare ne absque ipsius permissione & sententia tale quid fiat; sententia, inquam, quæ ad nihil aliud spectat, quàm ad subditorum commodum: & hoc Princeps facere non poterit? Et dicetur illi, Canonem aliquem id illi prohibere? Canonem, inquam, aut perperam, aut non ex vero sensu interpretatum? Canonem quem nonnulli affirmant obligare non posse eum qui non ipsum accepit? Circa quod argumentum bonum est vt omnes intelligãt, quòd licet Vnus vel plures Canones, ex iis, qui à Pontificibus conditi sunt, inferant aliquid contrarium vbi agitur de exemptione personarũ Ecclesiasticarũ à Principum subselliis, habent etiam ipsi Principes qui sibi faueant, & qui cum ratione scribant pro ipsorum potestate in Ecclesiasticos. Axioma hoc certum & firmum habetur ab iisdem Iuris Professoribus,

bus,quod vbi agitur de rebus temporalibus, debet Canones locum habere,si à Principibus pro bonis accepti sunt,& si apud eos in vsu sunt. Accidit etiam vt quædam ex dictis Constitutionibus,in Principum præiudicium conditæ fuerint retractatæ & abolitæ,postquam ipsi Principes de illis conquesti sunt. Verùm res ita se habet,leges Reipub. Venetæ contrarias non esse Canonibus benè intellectis: id quod manifestè apparebit ex diligenti disquisitione quæ super hac materia facta est à Professoribus Iuris Canonici,si necesse fuerit vt ipsorum consilia & citationes in publicum prodeant: quorum quidem consiliorum cardo præcipuus hic est, deberi attendere ad finem præcipuum, & ad præcipuam Legislatoris intentionem, non autem ad id quod secundariò & accessoriè inferri potest præter præcipuum finem & obiectum. Quòd si Respublica Veneta hunc scopum suis legibus statuit,conseruare scilicet vires Principatus sui & subditorum suorum,securitatique & quieti publicæ prouidere, vt verè hunc habuit finem,quod negari nequit, nemo iustè conqueri de ea potest,nec suarum legum correctionem protendere. Addo præterea, leges illas non solùm bonas esse & sanctas propter præcipuum finem,sed etiam propter secundarium, qui inde sequitur, quod quidem maturè examinatum fuit à Republica, vt pote à sapiente & prudente Principe,per tot considerationes, quæ superiùs narratæ sunt. Forsan dicent Ecclesiastici,suas diuitias maiores non futuras, numerum Templorum & Monasteriorum maiorem non futurum, Abbatias, Commendas non plures futuras: Quòd si delicta ipsorum puniantur,libertas agendi quodcumque li-

buerit,illis tolletur. Sed facillimè illis respondetur: primò,quia per Reipub.leges,hoc non absolutè iis prohibetur: immò possunt ac debent sperare ab ipsius pietate amplificationem suorum redituum, cum ea moderatione quæ ipsis conuenit: & licet hoc non sequeretur,non tamen hanc intentionem habuit Respublica, quæ vnicum hunc finem sibi proposuit,conseruare scilicet laicis suas fortunas,& sibi suas vires. Ast quod attinet ad punitionem delictorum,si bene agant,vt illos decet, proculdubio iudicium Reipub.non incurrent: nos enim hanc viam docuit,potestates Principum non timere, is qui à Deo vocatus,missus est ad omnes gentes docendas. Et dum addunt, se damnum ex legibus illis passuros,id nego. Damnum pateretur is, cui auferretur vestis, vinum, numi,aut tale quid ex facultatibus quas possidet, sed si aliquis nollet dare vestem suam, aut aliud ex suis facultatibus, quia iis eget, is cui hæc denegantur, non poterit conqueri sibi damnum aut iniuriam fieri. Pessimi exempli esset,videre Ecclesiasticum ingredi in domum alienam, vt domino facultates auferret, aut ipsum offenderet vel in fortunis, vel in corpore: vnde tamen expelli nollet, quia diceret se incommodum aut damnum ex illa expulsione passurum. Quæ suprà dicta sunt,satis respondent iis qui Rempublicam arguunt parum in se pietatis aut Religionis habere. Hoc tantummodo addam, Rempublicam Venetam natam esse Christianam, & Catholicam,talem sese conseruasse, nec vnquam fidem Catholicam deseruisse,idque per annos mille ducentos continuos,nunquam vlla hæresi contaminatam fuisse: quod facilè affirmari non potest de

plerisque

plerisque prouinciis Christiani orbis. Et quum adeò sedi Romanæ obsequens fuerit, cui bono inuehuntur quidam in eos qui abalienati sunt ab ea? cui bono argumentantur à vera Pontificum successione in ipsa sede, à continuata identitate obsequij & reuerentiæ erga ipsam? Dicerem aliquid de iis scriptoribus, qui opinionem diuersam tenent, & à quibus Ecclesiasticorum causa propugnatur: sed existimans laborem illum mihi non competere, examinandi scilicet ipsorum scripta & opiniones, hoc tantùm dicam, nonnullos ex ipsis, quum non peruenerint ad eum vsque terminum politicum, qui dici potest architectonicus earum legum & iudiciorum de quibus agitur, non posse de his eam perfectam analysin dare quæ deceret, (non quidem ob ipsorum defectum, sed quia ad acquirendam eam cognitionem necessaria est longa & continuata experientia,) nonnullos verò in partes Ecclesiasticorũ facilè trãsiuisse, timore aut spe ductos aut aliis similibus affectibus: necnõ etiã quosdam qui non ad vnguem certiores facti fuerant multarum rerum particularium, quas necessarium erat rescire in materia tam graui, & tanti ponderis. Verùm à calamo eorum, qui sunt eiusdem professionis, valdè conuenienter & aptè responsum est Ecclesiasticorum argumentis: ab iis, inquam, qui diu versati in publicis administrationibus, & ab omni passione liberi, secundùm ius diuinum & humanum incedunt: illud desumptum ex sacra Scriptura, qui verus & præcipuus Canon est: hoc verò ex lumine intellectus. Suntque hi non pauci, pluresque forent, si liceret illis dicere & scribere id quod sentiunt. Quod attinet ad caput de bonis

emphyteoticis, quod habetur in principio & ipsa fronte Edicti vel Monitorij publicè editi aduersus Rempublicam Venetam, postquam aliquid de eo dixero, idque quàm breuiter fieri poterit, nullus erit, qui non valde obstupefiat, quum viderit & audierit modum, quo vsi sunt ij qui hoc negotium tractarunt: Id quod magis ac magis omnes inducet vt credant benignitatem Pontificis fuisse deceptam ac delusam falsis delationibus eorum aut quorum res agebatur, aut qui affectibus non moderatis distrahebantur: quique in causa fuerunt, ne peius dicam, vt citiùs quàm par fuisset, de hoc negotio Pontifex constitueret. Prima causa querimoniæ suæ Sanctitatis in eo Monitorio hæc est, Rempublicam legem condidisse, qua Ecclesiasticos excludit à prælatione & acquisitione bonorum emphyteoticorum, ita vt nec per prælationem, nec per consolidationem directi, nec per lineæ exstinctionem acquirere possint dicta bona: attamen apparet in ea lege, de qua in ipso Breui agitur, nullā prorsus mentionē fieri bonorū emphyteoticorū: quod manifestè arguit nō tantūmodo non consideratā fuisse dictam legem, neque validissimas rationes, quas habuit Respublica, vt illam conderet, sed forsan ne lectam quidem fuisse. Agitur de vna lege, hoc est de magna discussione, & de magna ratiocinatione, publicam administrationē spectante, vt fieri solet in condendis omnibus legibus: agitur etiam de legislatore & auctore ipsius nullo pacto contemnendo, Republica, scilicet, Veneta, Principe sapiente & prudenti, & quæ in omnibus sæculis leges constituit tantæ æquitatis & tantæ iustitiæ, quas desiderarunt omnes cæteri, admirati sunt & reueriti tot populi sui boni subditi:

ſubditi: & nihilominus prætendunt illam corrigere, abolere, & pro nulla habere, non ſolùm non habita ſuper ea matura deliberatione quæ decet, ſed etiam ea non intellecta, immò nec viſa. Si, qui legitimus Iudex ipſius eſſet, nequiret nec deberet, niſi re valde maturè cogitata & expenſa, ſeſe immiſcere ad illam corrigendam aut emendandam: quomodo poteſt humanum ingenium capere, vt qui Iudex nō ſit, (quíque nihil aliud poteſt afferre, niſi quòd prætendat aliquod grauamen) poſſit ex relatione malè facta, & à vero aliena, de re quæ in facto ſita eſt, ſine ea diligenti diſquiſitione quæ in iis caſibus neceſſaria eſt, & quantum ordinem ſpectat, & quantum meritum, non ſolùm conſtituere & terminare ex ſuo iudicio, ſed etiam prorumpere ad eos exceſſus, quos tandem neceſſe eſt in conſpectu totius orbis improbari, nec bene intelligi. Loquuta eſt Reſpublica in ſupradicta lege de prælatione Eccleſiarum ſuper bonis à laicis poſſeſſis; quæ quidem omnia bona poſſunt eſſe alterius naturæ quàm emphyteotica: quædam enim ipſorum ab Eccleſiaſticis liberè tranſierunt in laicos, ſine vlla obligatione; alia cum certa, determinata & valde exigua penſione vel recognitione, quæ cenſus vocatur: alia ſub titulo longiſſimæ, immò perpetuæ locationis. Hoc genus, quod in maximo numero reperitur & quod magnā ſummam excedit, maiori ex parte iam per centenos ac centenos annos tranſiit in laicos, quum illius qualitatis eſſent, vt nullo pacto colerentur, nullúſque ex iis vel etiam minimus fructus perciperetur, ita vt (vt ita dicam) ab omnibus eſſent derelicta. Erúntque ea bona, induſtria laicorum, impenſis, ſudoribus, ad eum terminum adducta qui hodie

apparet, siue ea defenderint ab inundationibus, & vi fluminum, siue ea aquis purgarint, siue alia industria & labore meliora reddiderint: ita vt ex paludibus facti sint fertiles campi, cum immensis impensis & operibus: & quum ex illis agris deberent fructum percipere proprij sudoris & sanguinis quem impenderunt in eorum culturam, hunc omnino iis priuabuntur? Ius non consentit, honestas non permittit, nulla lex id iubet in tali bonorum natura & qualitate: Quibus addentes nunquam id consuetudinē & iudicia tolerasse, difficile credi potest, quòd nec ij, qui per hæc media ad maiores diuitias adspirant, possint bona cum conscientia id sentire. Quòd vsus & consuetudo tales fuerint, ex ipso facto probatur: Tantum enim abest vt Ecclesiastici soliti sint recuperare dicta bona in supradictis prælationis casibus, quin potius apparet contrarium in vsu inueterato esse: infinitæ enim altercationes super iis bonis ab vno in alterum possessorem laicum, per omnia contractuum genera, nunquam impeditæ fuerunt ab Ecclesiasticis, nec ipsi vnquam admissi sunt ad prælationem. Quòd si aliquando quispiam tentarit præferri, apparent clarissima iudicia & decreta Principis, qui nunquam voluit vt id genus cogitationes locum haberent. Et causa suorum iudiciorum & decretorum, semper fuit corroborata tot rationibus ac forsan maioribus, quot erant illæ quæ supra adductæ sunt in fauorem legis de bonis laicis suprà nominatæ: ita vt in cassum lata fuisset illa lex, si hæc, quam vocant de bonis emphyteoticis, antiquata fuisset. Si enim locum deberet habere dicta prælatio, tot ac tantæ essent confusiones & reuolutiones eorum qui bona possident in dominio Reipublicæ,

blicæ, vt non remaneret nec ciuitas nec castrum, & in quibusdam locis nec pagus, nec villa, nec forsan domus, aut familia, aut persona, quæ non in periculum incideret spoliationis suorum fundorum, aut saltem aliquid molestiæ pateretur. Præterea testamenta, donationes, venditiones, emptiones, contractus dotales, & id genus conuentiones bona fide icta, & longissima possessione firmatæ, securæ non essent, & super ipsis nasci possent tot controuersiæ, tot lites & discordiæ, vt difficile vel impossibile esset illas pacificare aut componere. Hi attentatus sunt nimij, & nimis periculosi: ob idq; Princeps & Respublica nunquam id ferre voluerunt, immò extant statuta expressissima ad fulciendas bonorum possessiones, & ad correctionem eorum qui ausi sunt mouere id genus humores. Sed quia hæc statuta non satis erant ad reprimendum desiderium quorundam Ecclesiasticorum, qui cæteris potentiores cœperant molestiam laicis inferre, nō potuit Respublica, quin ad clariorem & magis perspicuam decisionem huiusce materiæ veniret, quod prædicta lege præstitit, vt clariùs innotesceret omnibus iudicibus voluntas publica, iuxta quam deberent dictare sua iudicia in omnibus casibus. Nec potest in dubium vocari Reipub. auctoritas in ea lege condenda: primùm, quia super id genus bonis semper iudicatum est à Iudice laico: immò ipsimet Ecclesiastici in ipsum consenserunt, & ad illum liberè prouocarunt. Et quum manifestum sit, Iudicem laicum non ab alia Potestate debere legem accipere, quàm à Legislatore suo, cuius potestas est laica, sequitur necessariò Rempublicam iure potuisse legem condere quæ formam iudicandi

præscriberet suis Iudicibus. Additur præterea, quòd eorum bonorum natura, quæ est, aut in solidum, aut maiori ex parte, ob tot meliorationes, iuris laici, nō sinit vt possessor possit coram alio Iudice sisti. Possem addere, ipsos Pontifices, (ad quietem populorum, qui ab ipsis recto cum dominio temporali, incurrebant periculum magnorum tumultuum & pertubationum, & inter se, & cum Ecclesiasticis) similes prouisiones sanxisse in casib. multo strictioribus: vt apparet ex vna Constitutione Bonifacij noni facta super hoc argumento pro ciuitate Ferrariensi, quam ipsemet vidi. Possem præterea adducere exemplum similium Constitutionum & consuetudinum in aliis dominiis. Sed videns, copiam & abundātiam rationū me multo vlteriùs portasse quàm cogitaram, quum (præter id quòd spoponderam me super hoc capite breuiter dicturum) non deceat vt in re, de qua Pontifex non egit cum Republica eo modo ac eo ordine quo decebat, (vnde nec Respublica potuit, nec necessarium censuit curare vt suum ius manifestum fieret) labor insumendus sit, qui in tempore & loco insumetur. Tandem concludam, dicendo, quòd quum Respublica habeat à suis partibus tot ac tam firmas rationes, & quum nullum errorem commiserit, nec vllo modo peccarit, immò peccasset, si aliter se gessisset, quia res subditorum suorum nō bene administrasset, nec securitatem & quietem sui dominij sartam tectam conseruasset, eas, inquam, ob causas pro certo habet legitimè non potuisse corrigi, nec censurari à sua Sanctitate: immo sperat ac planè confidit se à Domino Deo & ab ipsius clementia adiutam iri, & vota ipsius exaudita fore. Non dubitat etiam,
Deo

Deo propitio & opitulante, iustitiam causæ suæ iuuatam iri & protectam ab omnibus Principibus & populis, quorum res non minus agitur quàm ipsius Reipub. Et tandem sperat suam ipsam Sanctitatem, (postquam à proprio iudicio consilium petierit, & remouerit à se consilia eorum, qui aliqua passione & affectu moti, aliter quàm par est, ei persuadent) apertè agnituram & admissuram pro bonis, suas validissimas rationes, & suas iustas considerationes. Det Dominus Deus, vt id fiat, in beneficium commune, & totius orbis Christiani.

Ego, Petrus Antonius Ribetti, Archidiaconus, Vicarius generalis, approbo quæ supra scripta sunt, & affirmo in eis nihil contineri quod fidei Catholicæ contrarium sit.

Ego, Frater Paulus à Venetia, serenissimæ Reipublicæ Theologus, legi & examinaui quæ supra scripta sunt, & reperi conformia esse sanctæ fidei Catholicæ.

Ego, Frater Bernardus Giordani, Theologus Franciscanus, affirmo vt suprà.

Ego, Frater Michael Angelus Bonicellus Venetianus, Lector Theologus, Minor obseruantinus, affirmo vt suprà.

Ego, Frater Marcus Antonius Capellus, Minor conuentualis, Theologus, affirmo vt suprà.

Ego, Frater Camillus Venetianus, ordinis Sancti Augustini, Theologus, affirmo vt suprà.

Ego, Marcus Antonius Pellegrini, Doctor & Eques, vnus Lectorum in iure primariorum Aca-

demiæ Patàuinæ, viſa, intellecta, & conſiderata ſcripta ſupradicta, ſentio, vt mea fert opinio, ea, quæ in ipſa continentur, conformia eſſe terminis iuris.

Ego, Marcus Antonius Ottelius, Lector ordinarius in primo loco Iuris ciuilis, manè, in Academia Patauina, quantum attinet ad terminos legales, idem affirmo.

Ego, Giouachinus Scaínus, Lector Iuris ciuilis inter primarios, in Academia Patauina, veſperi, quantum attinet ad terminos legales, idem affirmo.

CON-



CONSIDERATIO SVPRA CENSVRIS Sanctitatis Papæ Pauli V. CONTRA SERENISSIMAM VENETIARVM REMPVBLICAM.

P. M. PAVLI VENETI
de Seruorum Ordine.

PSAL. CVIII.
Maledicent illi, & tu benedices.



IMPRESSA ITALICE VENETIIS
Apud Robertum Meiettum.
M.DCVI.

Cum venia Superiorum.

18



CONSIDERATIO P. M. PAVLI.

REspublica Veneta ſemper exiſtimauit præcipuum omnis Imperij & ditionis fundamentum, eſſe veram religionem, & pietatem, Deiq; ſingulari beneficio cognouit ſe in ea natam eſſe, educatam, & vero cultu diuino mactam, quem ſemper magna cura & ſollicitudine augendum curauit, pręſertim in multa ſacrorum ędificiorum exſtructione, eorúmque magnifica adornatione, ſuppeditans illis doctos miniſtros, & recipiens illos Religioſorum ordines, quos in Eccleſia Catholica tempora paulatim produxerunt. Cuius rei magnus Eccleſiarum opulentarum numerus, & Monaſteriorum amplitudo, non ſolùm in Veneta ciuitate, ſed etiam in aliis ſubditis, manifeſtam fidem faciūt: idque ſemper cum opportuno & neceſſario reſpectu, vt omnes illos euentus qui nocere poſſent ciuitatibus & ditionibus, per nouitates quæ introducuntur, ſub prætextu Collegiorum, Confraternitatum, aut Concionum, & damnum & periculum, quod afferebant publicæ tranquillitati ingentia ædificia exſtructa, & in locis importunis collocata, arceret. Ideóque ſemper conſiderauit quinam in ſuam ciuitatem introducerentur, & quo in loco fundarentur Monaſteria & Eccleſiæ, vt poſſent eiuſmodi homines recipi & ſuſtentari: & cùm cognouiſſet communem diligentiam & quotidianam non ſufficere, ad annum vſque 1337. lege ſanciuit, ne Venetiis ædificarentur Monaſteria, Xenodochia, & ſimilia loca ſine priuilegio. Quam legem confir-

mauit & innouauit anno 1515.& 1561.Sed videns adhuc esse necessarium vt ita prospiceret aliis suis terrestribus & maritimis ciuitatibus, imperauit suis Rectoribus vt non permitterent vlli Religioso aut Laico ædificare Monasteria,Ecclesias,Xenodochia, aut alios Religiosorum, aut profanorum Conuentus,sine Senatus priuilegio, sub exilij pœna,personis, & ædificiorum & fundorum in publicum addictionis.

Eadem Respublica semper existimauit,se eodem modo in posterum cum sinceræ & incorruptæ iustitiæ suis subditis administratæ vsu, quemadmodū antea se palàm conseruarat, debere conseruari, non ignorans scripturam diuinam dicere, *Regnum de gente in gentem transfertur, propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos* (Eccl. 10.) & contrà, *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* (Prouerb.29.) Itaque conseruans vnumquemque in possessione suorum bonorum, cum defensione & specifica sospitatione honoris vniuscuiusque,retinuit, & conseruauit semper fœliciter quietem & tranquillitatem publicam. Quæ ne indebita vsurpatione, & alieno detrimento turbaretur: cum sæpissimè in atrocibus delictis varij Ecclesiastici reperti sint: qui vitæ & morum probitate, secundum officium suum, debebant esse immunes à criminali Iustitia: non tamen non vsa est ea aduersus eos, quantum publica tranquillitas requisiuit, concedens nihilominus iis immunitatem à magistratibus, in communibus delictis, vt illi ordini, vicinorum Principum exemplo, faueret: hoc modo semper improbis terrorem incutiens, & læsos consolans. Et ita potestatem sibi à Deo datam exer-

exercens, ab originis suæ principiis ad hoc vsque tempus sine vlla interruptione, Iudicare & grauia quantumuis Ecclesiastici alicuius,cuiusuis gradus & ordinis peccata punire solita est: Vnde perrexit frui & exercere cũ publica tranquillitate antiquã & absolutam veri sui Imperij libertatẽ. Pariter ipsa Respublica semper curauit vt subditi sui possessionibus firmísque bonis abundarent, nõ ignorans trãquillitati publicæ plurimùm prodesse si priuata societas statu cõmodo vteretur: vbi iã circa 300.annos,cępit animaduertere Ecclesiasticos quotidie possessionum & censuum auctionem quærere: res quæ(licèt ipsi eò non spectarent) nihilominus non solùm in laicarum familiarum detrimentum, quas necessariò deficere oportebat,diminuta bonorum quantitate; sed etiam in damnum publicorũ prouẽtuum & facultatum publicarum vertebatur.Ideóque cùm imminueretur semper ciuium numerus,qui intenti erant & ciuili administrationi inseruiebant,& deficeret bonorum ipsorum quãtitas,quibus bonis publici prouentus nituntur:& contrà augeretur Ecclesiasticorũ numerus, qui se ab omnibus illis Reipublicæ necessariis muneribus immunes putãt,& cùm augerentur ipsorum bona, quæ legibus soluta esse arbitrantur,necessarium erat vt tandem res publicę breui diminuerentur. Addebatur necessarium esse tandem cùm Ecclesiastici nõ possent vnquam rem vllam alienare nisi cum suo aliquo cõmodo, & cùm perpetuæ essent Ecclesiæ, si semper acquirerent, Laici verò semper diminuerentur, vt bona omnia in Ecclesiasticorum manibus restarent,extingueretur omnis Nobilitas, omnísque politia, mundo ad duas hominum cõditiones, Ecclesiasticorum nem-

pe & Rusticorum, redacto.

Vt prospiceretur tunc tam noto & tam graui periculo Respublica anno 1333. statuit vt Ecclesiis non daretur aut legaretur vllum bonum stabile in perpetuum, in Ciuitate & Veneto ducatu, & si legaretur post certum tempus venderetur, pretio ipsis Ecclesiis restante: quæ lex variè obseruata fuit ad annum vsque 1536. cùm hac forma scripta fuit, vt à nullo legarentur bona firma Ecclesiis nisi ad duos annos, quo tempore venire deberent, & si id ab Ecclesiastico nō fieret, exequi magistratus officium erat. Et ex supradictis legibus, tanta sequuta sunt publicè, priuatímque bona, vt quædam ex subditis ciuitatibus, municipibus idem decreuerint, partim olim, partim hisce nostris temporibus. Quibus à Senatu perspectis, vt in vnum totum suum Statum redigeret, & bonorum Laicorum imminutioni prospiceret, anno 1605. legem quæ in ciuitatis Venetæ gratiam constituta erat ad vniuersum simul Statum extendit. Addendo nullum in Veneta Ciuitate, aut Statu posse, sub quoquam prætextu vendere, dare aut alio quouis modo firma bona Ecclesiastico emancipare, sine Senatus priuilegio, concedendi eodem modo quo bonorum publicorum alienatio conceditur, omnémque alio modo factam alienationem irritam esse, & stabilia bona in publicum addicta, pœna quoque ipsis Notariis indicta.

Quibus de causis, tribus annis ante 1602. vt temperaretur superflua quæsitorum Ecclesiasticorum copia, qui sub prætextu rationum ritè à se allatarum in bonis quæ à laicis possidebant, quotidie sui iuris reddere conabantur: modò cum hoc, modò cum

illo

illo possessorũ altercantes,nomen Enphyteoticorũ imponentes Censibus & Locationibus perpetuis, & ideò excitantes quasdam rationes, prolatas nempe esse venditiones, aut decidisse possessores, aut bona ad cuiuslibet conditionis hæredes peruenire non potuisse,multo cum subditorum detrimento, qui continuò litibus vexabantur, & inuoluebantur. Constituit Senàtus propter quãdam cõtrouersiam à Monachis Pragensibus motam, Ecclesiam non posse sibi bona à Laicis possessa vendicare.

Quod constitutum fuit iuxta consuetudinem, à ducentis annis iam & ampliùs semper obseruatam, & innumerabilia iudicia in conformitate sequuta, vt tollerẽtur cõtrouersiarũ & litiũ occasiones,& vt forma scripta iudicib.in omni casu sequẽda daretur.

Hæ leges,cõstitutiones,& Iustitię administrationes optimè cõstitutæ visæ sunt,nõ ignoratæ, verùm obseruatæ à Superiorib.Põtificibus,tã propter cõtinua Ecclesiasticorũ huiusce Status cõsilia,quàm propter priuata quæ quotidie à Nũtiis suis hãc ciuitatẽ incolẽtib.recipiũt;sine qua re ex se ipsis multi Põtifices plenã cognitionẽ habuerũt: alij ꝙ nati essẽt & educati in hoc Statu, alij quòd priuatim viuẽtes officio Cõfessoris per multos annos functi essẽt,quidã Inquisitoris munere,quidam verò quòd alicuius Ciuitatis Episcopi fuissẽt.Ita vt ad omnẽ Põtificem aliquomodo iustitiæ, & æquitatis Venetæ legis, iudiciorúmq; magistratuũ Venetorũ cognitio peruenerit. Vnde cõiiciẽdũ ab iis probatos esse Põtifices, cùm tacuerint.Sẽper exercuerũt iudicia in Ecclesiasticos iudices,& hactenus, quàm hisce tẽporib. frequentiùs: & constitutiones aut supra scriptæ leges antiquissima omittẽtes monumẽta,iam à 300.annis

& amplius in vſum venerunt, licèt vltimis hiſce temporibus confirmatæ fuerint, aliæ ex lege non ſcripta,cum qua obſeruabātur,ſtabilitæ ſunt,ſcriptę, & ita tandē typis mandatæ,& promulgatæ. Quarū vnam anni 1602.& alterā 1603. vidit Papa Clemens ſtudioſiſſimus & diligentiſſimus, ſed iis omnibus non ſatisfactum eſt Sanctitati Papæ Pauli V. Cui, incognita de occaſione,in Pontificatus ſui principio leges & Iudicia Reipublicæ examinare placuit.

Et ſub extremum Octobrem ſuperiorem in quotidiano auditorio, conqueritur cum ipſius Reipublicæ.Legato,cur dum vacua eſſet Pontificia Sedes, legem ſanciuiſſet quæ prohiberet ne Eccleſiaſtici firma bona acquirerent, addens, quamuis vt aliūs primæ conſtituta fuiſſet, nihilominus Canones inualidam reddere etiā antiquā vt & nouam,ideóque velle vt planè nulla eſſet, præcipiens Legato vt hāc ſuam voluntatem Reipublicæ notam faceret.

Quo peracto, & accepto mandato à Senatu reddendi rationem Pontifici cauſarum & æquitatis legis,& poteſtatis quam habet Reſpublica eiuſmodi decreta conſtituendi, Pontifex intentus ſuæ deliberationi,apertè dixit ſe audire vt ſatisfaceret, non vt rationibus allatis vllomodo conſiderationis locum daret,& cōcluſit ſe velle ea de re mittere breuē Venetis adhortationem , & oſtendit excommunicationem, quam typis mandari iuſſerat aduerſus aliā Ciuitatem, innuens ſe in eiuſmodi rebus reſponſa nolle, aut rationum allationes,ſed promptam obedientiam: ſubiunxítque aliam querimoniam dé detentione cuiuſdam Canonici Vicenzenſis ſuperioribus menſibus, & Abbatis Neruеſani , dicens ſe velle vt reſtituerentur foro Eccleſiaſtico, etſi

etsi Respublica possit exercere iudicia in Ecclesiasticos, neque ad eius condicionis homines, neque ad id genus delictorum, propter quæ supra dicti in carcerem coniecti sunt, extendatur.

Et hîc non erit inutilis paululum digredi vt recitentur causæ propter quas rei isti in carcerē coniecti sunt, Brandolinus Valdemarinus Abbas Neruesanus reus factus fuit, & accusatus de multis tyrannicis facinoribus in fortunas, & vxores eorum qui sibi circumiacentes regiones incolebant; quod veneno è vita multos sustulisse, atque etiam religiosum sacerdotem suum domesticum: & venenum præbuisset Patri & cuidam Fratri, quòd multos homines curasset necandos: rem continuò cum germana quadam sua habuisset: multa magica & impia perpetrasset, vt tandem ad turpitudinis suæ cumulum perueniret, & de aliis multis, quæ sine horrore non possunt peculiariùs recenseri accusatus fuit, vt patet in denuntiationibus, & querimoniis à variis in illum excitatis, Et Scipio Sarracenus Canonicus Vicentinus accusatus fuit, quòd per contemptum publica insignia Rectorum Vicensensium apposita Episcopatus Cancellariæ, in sede vacua, ad securitatem, & custodiam, scripturarum & rationum Episcopatus, petitione & instātia Cancellarij illius loci: & præterea quòd insultasset in nobilem dominam viduā de præcipua Vicentinorum familia, propinqua sua, pollutis foribus & ædibus, postea quòd tentasset diu indecoris modis eius castitatem cum publico scandalo, quia non abstinebat; iste etiam in Ecclesiis à libidinosis suis conatibus.

Sed ad Pontificem reuertamur, eius Sanctitas in variis cum Legato congressibus suasit vt seorsim

missas faciat suas rationes,& omnino morem gerat, à paucisque diebus nouas querimonias adiunxit propter supra scriptam legẽ quæ vetat ne ædificentur Ecclesiæ sine priuilegio. Et certò affirmauit se velle vt duæ supradictæ leges reuocarentur & duo captiui suo Nuntio Venetiis habitante remitterentur. Et 10. Decembris formata sunt duo Compendia, vnum de duabus legibus, alterum de iudicio in Ecclesiasticos,Commissa Nuntio suo, quæ offerret, sed Nuntius valde commotus, quia iis ipsis diebus Senatus elegerat Legatum extraordinarium ad viam quamlibet humilẽ tentandam,& quę Sanctitatem Pontificis à deliberatione sumpta,incognita causa,dimouere posset, & excitare ad inquisitionẽ priusquã ad executionẽ ventũ esset, distulit Cõpendiorum oblationem , quod Pontifici probatum non fuit,sed ei omni sedulitate mandatum expediuit,vt immediatè offerret.Ideóq; die Natiuitatis Domini nostri,cùm dux Grimanus animam efflaturus esset , & domini cum Senatoribus conuenissent , quorum quidam Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento communicarant , quidam communicaturi erant,orandi sibi locum postulat,& offert duo Compendia sigillo notata.

Quæ aperta non fuerunt propter ducis mortem, quæ sequẽti die successit,nisi post noui electionem. Quæ aperta eodem exemplo etiã reperta sunt.continebántque,Notum ipsi etiã Rempub.in suis consiliis, multa aduersus Ecclesiasticam libertatem,& sedis Apostolicæ authoritatem constituisse , & peculiariter ad totam suam ditionem extendisse, quæ pro sola Veneta Ciuitate erant , nempe non ædificandas Ecclesias,Monasteria,& pia loca , aliámque

legem

legem quæ prohibet alienationem bonorum laicorum ad Ecclesiasticos sine Senatus priuilegio: quas res, quòd contrariæ sint libertati Ecclesiasticæ declarat nullas & inualidas esse, & legislatores in Ecclesiasticas Censuras incidere, iubétque sub pœna excommunicationis, *latæ sententiæ*, vt reuocentur & deleantur, cum minis, si morem non gerant, se vlteriùs progressurum. Ad quid Senatus sub 28. Ianuarij respondit se magno cũ dolore, & admiratione audiuisse ex literis Sãctitatis eius, leges Reipublicæ fœliciter obseruatas per tot secula à nullo maiorum reprehensas, quarum reuocatio esset fundamentorum administrationis euersio, nunc argui tanquam authoritati sedis Apostolicæ contrarias, & legislatores, summæ pietatis homines, & de sede Apostolica bene meritos, qui in Cœlo sunt, nunc tanquam violatores Ecclesiasticæ libertatis haberi: séque secundum Sanctitatis ipsius admonitionem & nouas & antiquas leges examinasse: nec quicquam in iis inuenisse, quod summi Principis authoritate statui nequeat, & cùm peculiares quasdam rationes attigisset: conclusit se pro certo habere, se in vllam Censuram non incidisse, Sanctitatémque ipsius piam & religiosam in comminationibus incognita causa non perstituram. hic locus primùm requirit vt vlteriùs progrediamur, vt explicentur quænam sint Pontificis duabus legibus supra scriptis oppositiones, & quàm facilis & in promptu sit solutio, & quænam simul sint rationes, iustitia, & æquitas legum, & quàm legitima sit potestas in Republica eas constituendi.

Opponit Pontifex ambabus istis legibus simul dicens, esse, *Sedis apostolicæ authoritati, & Ecclesiasticæ*

libertati immunitatíque contrarias, tum generalibus Conciliis, & sacris Canonibus, necnon Romanorum Pontificum constitutionibus repugnantes: Ideóque ante omnia non erit extra rem, si videamus quid sit libertas Ecclesiastica, & vnde originem sumpserit. Certum enim est hoc esse nomen nouum & per duodecim secula in Ecclesia inauditum, Sanctissimus Apostolus Paulus in epistola ad Rom. 6. & ad Galatas 4. libertatis Ecclesiasticæ meminit, vbi demõstrat nos propter primi parentis nostri peccatum seruos factos fuisse, à qua seruitute Christus Dominus noster liberauit nos, suo sanguine redimens, Ideóque ait, *Cùm serui essetis peccati liberi fuistis iustitiæ, nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum quidem sanctificationem, finem verò vitam æternam*, & ad Galatas, aliã seruitutẽ proponit cæremoniarũ Mosaicæ legis, à qua pariter Christus nos liberauit, cùm ait, *Nunc fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.* Non concessum est aliis tantùm salutis beneficium, quemadmodum vnicuique fidelium Christi, & Ecclesiæ in corpore. Idcirco reperientur aliqui ex sanctis antiquis qui Ecclesiæ libertatem promulgabunt: huic sese non opponunt nisi ministri diaboli & inferorum: neque dubium est, quin quicunque cum suis omnibus legibus vellet minima in parte detrahere, alienus foret à Sancta Ecclesia Catholica.

Sed de hac non agitur, quandoquidem famosum & augustum Ecclesiæ nomen, quod olim omnibus fidelibus commune erat, tam Clericis quàm Laicis, nunc videtur ad solos Clericos designandos, restrictum. Vnde conceditur eis etiam propria libertas sepa-

tas separata à supradicta, cuius videtur Honorius III. primus mentionem fecisse circa annum 1220. sed id quod Honorius intelligit per libertatem Ecclesiasticam, & Federicus II. Imperator, eo ipso tempore,& vrgente Papa libertatem nominat, neque ipsi declarant,neque inter Canonistas dum liquet. Quandoquidem in tota lege Canonica definita non reperitur, nec declarantur ea quæ sub ipsa comprehenduntur,nec traditur norma iudicij: quia non sunt eiusdem sententiæ quando de re aliqua disputatio oritur, si sit aduersus Ecclesiasticam libertatem. Libertas à Iurisconsultis definitur, vera facultas agendi id quod quisque vult,quantum quidem leges permittunt. Quidam existimarunt hanc facultatem in Clericis agendi id quod libet conforme legibus,esse Ecclesiasticam libertatẽ: ita vt hoc sensu illud idem quod est in laico absolutè libertas,in Ecclesiastico sit libertas Ecclesiastica, & illa facultas consistat in fruitione quam vnicuique communis lex largitur. Ita vt is sit sensus capitis, *Eos qui*, (*de imm. Ecc. in* 6.) vbi dicit, si quisquam prohibeat ne coquatur panis,& conteratur triticum,& Ecclesiasticis ministretur, is sibi arrogat in abrogatione aduersus Ecclesiasticam libertatem: Alij non ita sentiunt: sed sub hoc nomine complectuntur eas res quæ solùm Ecclesiasticis conueniunt, per priuilegia iis à Deo concessa, aut à Papa in Spiritualibus, & à Principibus in Temporalibus, ita vt aliud nolint, quàm immunitatis priuilegium vniuersali Ecclesiæ concessum, tam in Temporalibus quàm in Spiritualibus.

Alia opinio hasce duas simul componit. Alij vocant libertatem Ecclesiasticam quicquid fit in

Clericorum gratiam, dicúntque esse contrariam libertati decretorum, quibus Clerici timidiores redduntur, audaciores verò Laici. Quæ definitio est Bartoli, (*Authen. Cass. C. de sac. sanct. Eccles.*) & pariter accommodatior ordinis Clericalis laudibus.

Nunc ostendemus libertatis Ecclesiasticæ nomine sumpto in quacunque horum sensuum significatione, constitutiones Reipublicæ Venetæ, & coniectionem in carcerem & condemnationem Ecclesiasticorum, non tollere vllam libertatem, simúlque soluemus oppositiones quæ peculiariter in vnamquamque legem fiunt. Non affert Papa rationem aliam specialem, lex verò quæ prohibet ne exstruantur Ecclesiæ, non lædit eum nisi quod stabiliatur, hæc sunt ipsissima verba Compendij eius: *Quasi Ecclesiastica personæ temporali vestræ iurisdictioni aliquomodo subiecta essent, vel qui ea ratione in vestris ditionibus Ecclesias, & alia pia ac religiosa loca exstruerent, tanquam in aliquo scelere deprehensi mulctandi viderentur.*

Neque aliam præsertim rationem affert ad suæ sententiæ probationem, quàm contra libertatem Ecclesiasticam esse prohiberi laicos legare, aut dare in perpetuum aut emancipare bona stabilia Ecclesiasticis, nisi appareat esse fundos in certa vsurpata iurisdictione, quàm Laica potestas habeat ex bonis Ecclesiasticis, & hæc sunt ipsius verba,

Perinde ac si Temporalibus Dominis liceret in Ecclesiastica bona quæ Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, & aliis locis piis à testatoribus, & cæteris Christi fidelibus, pro remedio peccatorum & exoneratione conscientiæ plerumque relinquuntur, aut alio modo conferuntur, ius aliquod

quod exercere.

Sed primùm quicunque interna diligentia considerare volet,ex se ipso penetrabit sanctionem legis prohibeat quominus vnusquisque tam Ecclesiasticus quàm laicus exstruat Ecclesias sine priuilegio, non esse, quemadmodum opponit Pontifex, exercere potestatem in Ecclesiam,sed in fundum,in aream aut superficiem vbi exstrui possunt Ecclesiæ, quam nemo negabit puram & merè Laicam esse. Nullus priuatus prohibebit ne Ecclesiasticus in proprio fundo Ecclesiam ædificet, nec dicet eum quicquam supra Ecclesiam committere, ant Ecclesiasticum: sed dispensare de suo proprio fundo, pro suo beneplacito, & prohibere vsum rei,illi cui lege cõcedere non tenetur.Non ea quæ ædificari potest Ecclesia vocatur,sed ea quæ iam dicata est: quilibet priuatus proprio fundo dominatur, & penes principẽ maior est aliqua potestas in omnes suæ ditionis fundos: Idcirco quemadmodum iniustum est ædificare Ecclesiam in fundo priuati alicuius sine eius permissione:ita in iniquum est, in quouis alicuius Principis loco cùm vetuerit ædificare. Non tollitur hic libertas Ecclesiastica in vlla supradictorum sensuum,significatione: primò, quia nemo libertatem habet vtendi re aliena, inuito Domino: secundò pariter quia Deus rerum omnium vniuersalis dominus concedens Ecclesiæ ministris extruendorum Templorum libertatem,priuati ditionem, & Principis in fundum Imperium non sustulit: neque aliter disposuit Papa, nec posset disponere, quia Temporale est,nec vllus Princeps cum suo priuilegio quicquam in huius Reipublicæ liberæ natæ disponere potuit,& hoc non est Ecclesiasticę liber-

tati quicquam vllomodo detrahere.

Et si hæc valeret ratio, Ecclesia est spirituale quid, tum qui disponit supra ædificia disponit supra rem spiritualem, sequeretur Principē qui vetat ne ex quercubus exstruātur Ecclesiæ, quæ solebāt prodesse ad myoparonum, nauium, pontiū, & aliorum fabricationem, aut qui prohibet ne plumbo tegantur propter penuriam in vsum bellicum, sequeretur, inquàm, principem dici legem sancire in Ecclesias, & earum tecta, nihilominùs verò manente eo, quod constitueret in quercus & plumbum, quæ sunt res merè laicæ. Quid est quod cultui diuino consecrari nequeat? fortè nihil reperietur, quod nisi solum peccatum contrarium Deo esset, ipsi non posset dicari: tum qui de re aliqua disponet obstans quominus dicari queat offendet Deum? absit.

Cum præceptum honoris diuini affirmet, non comprehendit quaslibet materias, omnia loca, omnia Templa, quemadmodum videbimus eos qui ad rem Ecclesiasticam omnia alliciunt, sed permittit, cùm nulla res sibi deest, vt reliquum in hominum vsum collocetur, sibíque tribuant quantum decorum est.

Si in quouis loco inuito Principe Ecclesias exstruere liceret, pariter liceret ipso inuito quamuis materiem ad opus traducere, & quouis artifice vti; quòd si extendatur etiam ad Ecclesiarum ornamenta, superesset, omnem pannum, omne metallum, omne lignum & omnia alia Ecclesiasticis propria esse. Absurda earum consequentiarum manifestè demonstrant, quemadmodum Ecclesia iam consecrata pertinet ad Spiritualia, ita nullum locum posse sine permissione Principis

Tem-

Temporarij consecrari, & huiusce legis æquitas semper omnibus nota fuit. Cicero in oratione pro *Domo sua*, ostendit illis temporibus nullam arcam potuisse consecrari, *iniussu populi*. Sub Ethnicis imperatoribus erant etiam quatuor leges.

(*L. sacra §.1. ff. de re. diuis. L. si plures sint. &c. L. 2. ff. de reliq. & sum. fun. L. vlt. ff. vn. in poss. legal*). quæ vetant ne res vlla sine Principis priuilegio consecretur, quas leges cũ retulisset Iustinianus in sua Digesta proculdubio accommodauit ad nostram religionem, & dedit etiam potestatem in Ecclesiarum nostrarum constructionem, & qui leget historias Ecclesiasticas, & Iustiniani Nouellas, videbit Imperatorum temporibus, tam in Oriente, quàm in Occidente, Principi statum omnem supra omnes alios differri hac in parte, ita vt non solùm ab iis postulatum sit priuilegium nouas Ecclesias construendi, sed præterea nemo vnquam in animo habuerit exstruere Ecclesiam in Cathedrali aut Metropolitana, sine permissione, aut peculiari principis decreto, Legi potest hac de re Nouella Iustiniani 67. & id quod de xvij. Canonibus Concilij Calcedonensis fusiùs refert Balsamo. Hic Galliæ consuetudinẽ adiungere à re alienum non erit, vbi sine regiis literis peculiaris concessionis, & deinde sine Parlamenti decreto Ecclesiæ ædificari nequeũt. Et vt etiam aliquod ex aliquo Italiæ loco depromptum exemplum proferamus, hîc in memoriam reuocandum, ciuitatem Genuensem habere adeò peculiares constitutiones, vt sine priuilegio collegia & monasteria exstrui non possint, sub loci in publicum addictionis pœna.

Sed non tam materialium Ecclesiarum Veneta

Respublica,quàm etiã eorũ qui eam administraturi essent rationẽ habuit, quandoquidẽ nõ in omni loco bona sunt omnia Religiosorũ genera. Optimum suppeditat nobis exemplum celebratissima Castiliæ Regis administratio, siquidem absque regis priuilegio in illa regna noui religiosi introduci nequeunt, idcircò ad hoc vsque tempus Cappucini patres sibi aditum in illa regna patefacere non potuerunt. Nec multi sunt anni Patres S. Francisci Paulæ Ecclesiam in Mandriliæ loco sine regia permissione ædificare cœpisse. Quod opus Rex Philippus Secundus occludi curauit, remanente in exemplum ipsa Ecclesia ità cœpta & imperfecta. Et eius Sanctitas cùm Nuntius esset extraordinarius optimè videre potuit.

Huiusce rei fundamenta non sunt minùs rationabilia, legalia & legitima quàm necessaria. Ideò quẽadmodũ nõ permitteretur multis ex alieno statu hominibus, & cõtrariis moribus, & finibus diuersis ab iis alicuius Reipublicæ, vt introirent in statum eorũ & in solum locũ simul cogerentur, fierétque Caput, & clàm cum subditis Principis ageretur, quandoquidem istis tanquam suspectis & perniciosis Conuentibus obstaculum afferretur. Sic cùm vnius monasterij noui prætextu possent multi simul sub vnum Caput conuenire, ab exteris nationibus, aliquando moribus contrariis, aut opinionibus, & propter commodam occasionem quam habent agendi per confessiones, aut alia eiusmodi colloquia spiritualia, sese cum subditis principis introducendo, & sic fidelitatem corrumpendo, in hanc rem pariter optimo iure animaduertendum est, pro publica conseruatione, & status tranquillitate. Et propter hunc

respe-

ctum, statuit tamen Respublica quosdam Patres Monasterij cuiusdam missos facere, omnes peregrinos, quòd multos à Nauali deuiare fecissent. Et sic Auditoria & Collegia quæ totius alicuius gentis in vna ciuitate fiunt, maxime multis hominum generibus referta, non sunt sine grauissimo periculo, cùm non sit conscius illius loci princeps de suis reductionibus agi. Additque Respublica ædificia nisi in loco conuenienti collocata sint magna Ciuitatibus, præsertim munitissimis damna afferre.

Nec ignorat quantæ Ciuitates propter Ecclesiam foris paulum distantem à fossa ab hoste qui castrametatus est, occupata, perierint: & quantum damnum attulerit etiam eiusmodi ædificium internis mœnibus vicinum: & quantæ machinæ & ædificia sacra propter necessarium respectum ad publicam tranquillitatem, cum aliqua imperitorum & piorum hominum admiratione, delenda fuerint.

Non solùm bono publico vtilissimum est, prout suprà disseruimus, vt non exstruantur Ecclesiæ sine priuilegio, sed etiam est ad ipsarum vtilitatem, vt ad cuiusuis arbitrium nõ exstruantur in locis indecoris, prope prostibula, prope cloacas, & indecente forma & sine decoro Religionis maiestati conueniente, ita vt derisioni potiùs quàm alij rei destinatæ sint Ecclesiæ: neque videtur multus, & superfluus Ecclesiarum numerus esse vtilis pietati, imò contrà cùm nimiæ sunt, cultus debiti omnibus reddi nequeunt: & vna Ecclesia malè culta maioris impietatis causa est, quàm decem bene cultæ: eleemosynæ etiam non sufficiunt quando profusus est & immodicus Ecclesiarum numerus, ita vt neque antiquæ neque nouæ debitos cultus habeant Dei beneficio

in Veneta ciuitate, & aliis omnibus sui status Ciuitatibus Ecclesiæ non deficiunt, eæque tales & tantæ sunt, vt quædam Ciuitates refertæ reliquiis innumerabilium Martyrum, quæ parum honorificè cõseruatæ restant, ab istis exemplar habere & desumere possint: & cum his omnibus minimè non permisit Senatus, quando sese obtulit occasio, ædificare nouas Ecclesias, & loca pia, vndecunque occurrerit: & nouis Religiosis etiam ab ipsa lege sancita aditum concessit.

Sed quis audiens argui pœnam legis Venetæ impositam iis qui Ecclesias sine priuilegio exstruunt, in admirationem non rapietur? dicendo dari qui opponant ædificationem non esse opus malum, quasi opus in se, & sua natura bonum, si fiat sine debitis circumstantiis, vitiosum, & castigatione dignũ non sit. Non ex materia solum aut obiecto, inquit Aristoteles (2. Ethic. cap. 6.) & post illum omnes Theologi, de bonitate actionis, sed ex omnium circumstantiarum integritate iudicatur. Bonum est Ecclesias ædificare in loco, & tempore, & modo conuenienti, sed bonum non est in loco alieno Ecclesiam exstruere, sine his conditionibus & sine domini consensu indecorum est. Princeps præter ditionẽ quam priuatus habet, in omnem locum potestatem maiorem obtinet: cui & dominus & locus subditi sunt, ita vt ex iis fieri nequeat vt princeps prohibeat, aut non consentiat.

Profectò multò pluribus quàm opus fuerat verbis vsus sum, vt vnumquemque sensu communi præditum, rationum quæ ad hanc legem pertinent capacem redderem, verùm me non pœnitet, quia etiam sequentis anni 1605. apologiæ inseruiunt, quæ pro-

prohibet ne Laici ſtabilia bona Eccleſiaſticis emã-cipent, ideóque iſta lex minùs diſponit de re Eccleſiaſtica, neque imperat Eccleſiaſticis rem vllam, ſed ſolùm Laicis, eorúmque bonis. Quam vnquam iniuriam inferet Princeps qui vetabit ne ſui ſubditi commercium agant cum hominum quodam genere. Vſitatiſſima eſt in omnibus regnis prohibitio, ne foras transferatur, aut vlla mercium ſpecies introducatur: ergo lædit peregrinos?

Non credo fore vllum qui cum hac conſequentia conſentiat: eóque potiori ratione quòd priuati in ſua bona leges conſtituunt, quando in contractibus villicationum, conditiones paciſcuntur, ne villicus poſſit vendere aut emancipare Eccleſiæ ſua commoda, & nihilominus hoc fit ab omnibus, alij in Teſtamentis vt fortunas ſuas apud ſe conſeruent, ita conditionibus obſtringunt vt non poſſint vnquam ad Eccleſiam peruenire. Omnes leges de fidei commiſſione facerent aduerſus Eccleſiaſticam libertatem, quia vetant ne bona Eccleſiæ relinquantur, etiámque Falcidiæ Trebellianicæ leges, quia omnes Eccleſiæ illam portionem, quam volunt detrahi à legatis, & hæredibus reſtare.

Non me præterit quendam valde ſtudioſum accretionis cuiuſuis, rerum Eccleſiaſticarum temporalium affirmare rem ita ſe habere: ſed multos in eandem ſententiam venire non arbitror. Magnáque eſt deliberatio damnare actiones & conſtitutiones, quas vniuerſi Chriſtiani ab annis 1500. non dicam approbarunt, ſed laudarunt, commendarunt, & pro Dei cultu habuerunt.

Quidam ſunt qui vt Laico multùm faueant, dicũt ſancitam eſſe & licere ſancire legem ne vllus ſine

priuilegio ſtabilia ſua bona vendere poſſit, quæ ita generalis complecteretur etiam Eccleſiaſticos, & poſſet rogato Principe,ſemper concedi : quando alienatio ad Laicum peruentura eſſet, negari verò quando ad Eccleſiaſticum, quod contra libertatem Eccleſiaſticam non eſſet.

Quibus conuenit quidem liberè reſpondere, ipſos, ſi paululum in Logica verſati eſſent inuenturos, toto genere conceſſo, cōcedi etiam totam ſpeciem particularem,& ſingularem. Vbi qui concedit principem poſſe abſolutè prohibere alienationem, cogitur fateri poſſe prohibere, Peregrinis, Nobilibus, Eccleſiaſticis, & cuiuſlibet conditionis hominibus particulariter. Iidem dicunt,poteſt abſolutè prohibere omnibus, ſed non Eccleſiaſticis tamen ſolis, Logicus dicit, ſi poteſt vniuerſaliter omnibus,ergo & Eccleſiaſticis ſolis.

Sed ſeueriùs cum iis agemus, Scripturæ diuinæ paululum ſtudeant vbi monebuntur à Diuo Paulo (Gal.6.) *Nolite errare, Deus non irridetur*. Egregium ſanè, ſi in hoc operandi effecto non peccetur, quòd Laicorum bona nequeant ad Eccleſiaſticos peruenire. Cur damnant id?cur arguunt? Non ſatis bene meritus eſt princeps, ſi Deum non offendit? Et ſi peccatum eſt, quando reſtante eodem effecto, mutarunt & verba, aliúdq; fecerunt, credētes ſe Deum irriſiſſe,eúmque ſuis artificiis deceptum fuiſſe. Abſit vt in animum Chriſtianum eiuſmodi cogitatio cadat. Si Deus voluiſſet vt Eccleſiaſtici ab ipſo inſtituti qui ſpiritualia curarent mutata inſtitutione ſua Domini non ſolùm vnius Temporalium bonorum portionis, ſed omnium bonorum Domini redderentur,non ſolū verbis eos obſeruantia proſe-

qui

qui deberemus, sed reipsa sollicitare vt quamprimùm illa Dei voluntas ad effectum perduceretur.

Sed progrediamur vlteriùs, vt clariùs demonstremus, Principem in tali lege supra res verè suas, & nõ Ecclesiasticas constituere: Præterea manifestum est, si possessio aliqua alicui seruitute tenetur, dominum eam Ecclesiæ legare nõ posse, ita vt non regat eam seruitus: sed quodcunque stabile in vno statu reperitur, principi subiicitur, quæ subiectio multò maior & arctior est, quàm vlla alia quæ inter priuatos intercedere possit. Ideóque Principis potestas in bona, maior est ditione priuati. Potest Princeps authoritate sua in bonum publicum detrahere, & tollere priuatam ditionem, non potest autem dominus vlla in parte detrahere de Principis potestate. Ideóque donatione, aut Testamento, aut alio quouis modo, vt Princeps potestate cadat efficere non potest. Videat hoc vnusquisque, & consideret quomodo cum natura congruat, vt bonum priuati dispositione ad Ecclesiam perueniat, & ideò à Principis potestate soluatur? Sed responderunt se contentos esse, vt cùm iisdem legibus soluẽdi id quod soluebat laicus, perueniant: valeat, sed cur nunc tantùm id dant, & hactenus ab omnibus muneribus immune esse voluerunt? Dicemus deinde Principem alia, præter tributa ordinaria, in bona firma habere, quandoquidem etiam habet extraordinaria, sine qua obligatione non debet bonum stabile ad eos qui vt & alij, aliis oneribus aggrauare possint, peruenire. Etsi hæc similis conditio est dura, nihilominus naturalis est. Sed præterea si Princeps officia personalia, à possessoribus, Militibus, Satellitibus, & Curialibus, aliisque, recipit, cur eorum iacturam fa-

ciet? Et præterea princeps Ius habet in publicum addicendi illud ſtabile bonum, propter domini delicta: ſed quando ad Eccleſiam peruenit, non amplius in publicum addici poteſt, ideóque princeps cur Ius ſuum perdet? Et quid opus eſt exemplum notiſſimum, vt qui contradicunt arguantur, afferre.

Beneficia Eccleſiaſtica propter beneficiatorum mortem vacant, & Aula Romana annuo prouentu, Bullarúmque pretio fruitur. Cùm multa ſatis beneficia, Monaſteriis, Capitoliis & aliis Academiis vnita eſſent, illud emolumẽtum quod ex defuncto beneficiatore percipiebant, eiuſmodi vnione perire viderunt Pontifices: & conſiderarunt decimo quinto quoque plus minùs anno, potuiſſe vacationem accedere; & propterea ſtatuerũt vt omnium beneficiorum vnitorum perſoluatur quindena. Igitur poſſet etiam princeps ita opinari, nempe centeſimo quoque plus minus anno potuiſſe bonum aliquod in publicum addici, & cogere vt centeſimo quoque anno publicatio perſoluatur. Cui vt proſpiciatur in quibuſdam regnis, mos eſt vt, cùm aliquod bonum Eccleſiæ legatur, teneatur dare hominem viuentem morientem, & cuius bona in publicum addici queant, ſine quo bonum ſtabile authoritate regia cadat in cauſam morticinæ poſſeſſionis.

Stabile etiam ſæpenumero venditur, & ideo principi vectigal penſitat, aut hæredi peregrino, qui pariter certam partem ſoluat relinquitur, faciamus pariter, vt in tot annorum temporibus, tale quid contingat, debebit Princeps ſine ſuo conſenſu hiſce rationibus priuari? Ideóque honeſtiſſima eſt & æquiſſima anni 1605. conſtitutio. Et ſi poſt priuilegium

etiam

etiam ob supra dictas causas proprium quæreretur vectigal, quando stabile ad Ecclesiam peruenire potest, iniquum non esset.

Ita in Gallia, aliisque multis regnis quando bonum peruenit ad Ecclesiasticum, etiamsi cum priuilegio, tertiam quandam partem, propter emortui mancipij ius exsoluit, nempe quia illud stabile Principi veluti mortuum est, qui ex eo vt antea nō possit amplius fructum percipere. Non igitur æquitati & iustitię contrarium est, si Princeps, qui tot rerum iacturam facit, videns Ecclesiasticos habere vigesies quinquies tanta bona vt iis contenti esse deberent, deliberat, & statuit vt non acquirantur amplius sine priuilegio, quod nihilominus quando res postulabit concedetur iis. Qui publicationum, venditionū, & legatorum ad peregrinos respectus, cùm possint etiam superficiebus vbi quidam designāt Ecclesiarum ædificationē occurrere, merum nō est si Princeps non permittit, vt sine priuilegio suo cadat in causam morticinæ possessionis. Sed vlterius progredientes, qui negant Principi laico potestatem sanciendi leges in Ecclesiasticas res, & Ecclesiasticos negant legibus laicis esse subditos, nihilominus ad vtilitatem publicam omne genus legum, quæ etiam Ecclesiasticos complectantur sanciri posse consentiunt. Sed publica vtilitas, vt hoc Reip. membrum præcipuum nempe laicum conseruetur, requirit, quod onera gerit, actiones publicas, tam personales quàm reales obit, ne quod Vlpianus ait, contingat, *Quòd viribus & viris destituta erat Respublica* (ff. de mun. & hon. l. 3.) Æqua igitur est lex & decora vt hoc membrum principem sospitatorem habeat, ita vt eius bona conseruans in eodem statu cum facul-

tatibus ad Rempub.adminiſtrandã neceſſariis maneat, & ſi inde fiat vt Eccleſiaſtici minus habeant, quàm habebant,id non eſt directa Principis mens, ſed per accidens occurrit: ratio & leges ad id quod indirectè aut per accidens ſequitur,reſpectum nunquam habent, *(l.ſi quis ne cauſam.ff.ſi cert.pet.c.quia diuerſitatem de conceſſ.præb.)* neque is exiſtimat ſe iniuriam facere proximo ſuo,qui media ex parte cũ illo vtilitatem propriam habet,etiãſi accidat vt eius ſocius lucro,quod ipſe fecit, priuetur: hæc niſi eſſet lex,Eccleſiaſticus,fateor,magis ditaretur,ſed quotidiana charitas,& quã Deus iubet,eſt vt vnúſquiſq; primùm res ſibi neceſſarias videat, & hoc eſt vocationi ſuæ intentum eſſe.Qui ſua conſeruat, proculdubio obſtat quominus ad alium perueniant,neque vnquam quiſquam diteſcit,quin aliquis pauper fiat. Non igitur charitati contrarium eſt,propriam paupertatem auertere, quia ſimul ab alio opulentia arcetur.Debet princeps curare vt tranquillitas& Imperij ſui facultates foueantur.

Si inde fit vt Eccleſiaſtici maiorem copiam non habeant,ad id non debet ſpectare princeps. Haetanus*(in ſumma ver. excommun.c.31.)* quem omnes ſequuntur, negat eſſe contra Eccleſiaſticã libertatem ſtatutum laicum,vnde reſtringitur &applicatur modo funerum ſpeciebus, ſponſaliorum, & miſſarum nouarum, & tandem, ex hoc ſequitur Eccleſiaſticos priuari illo lucro, quod haberent, ſi cuiuſuis generis ſumptus licitus eſſet.

Si velint Eccleſiaſtici emere, qua pecunia empturi ſunt? Canon conceſſus iubet vt fiant quatuor partes ex Eccleſiaſticis prouentibus, prima pro Epiſcopo,ſecunda pro Cleri victu,tertia pro ædificatione,

tione,quarta pro pauperũ eleemosynis.Id quod etiã Carolus Magnus in Capitulari suo *(l.1.c.87.)* confirmauit. Ex prima & secunda parte, nec etiam fert ratio vt suum sibi tollant alimentum acquirere nolent Ecclesiastici, Permittere vt labantur ædificia ad noua acquirenda rationi consentaneum non est, neq; id vult vtilitas publica: quarta pars pauperibus debita vt impendatur,pietas & domini dictũ ferre nequeunt.Quandoquidem Diuus Paulus iubet vt in memoriam semper id reuocemus. *Beatius est dare quàm accipere.* Ideóque cum ad stabilia bona, data aut legata veniamus,monendum est,Ecclesias quominus id omne quod suum est,aut eis donatum, aut legatum habeant, non impediri, quòd si non habent in propria specie tamen habent quod æquiualet.

Fortasse extra oleas esset id adiungere, sed tamen breuiter tantum malum nõ est,Ecclesiasticis superfluas possessiones dicere non esse vtiles,quandoquidem ita à vero Dei cultu abducuntur: quorum prouincia est vt ei intenti sint, & in legibus Ecclesiasticis vnus idémque ei titulus attribuitur, *Ne clerici vel monachi secularibus negotijs se immisceant.* Vbi peculiariter apparet primum caput scriptum ad prohibendas præsentes confusiones, diuúsque Paulus paucis iubet, *Nemo militans implicat se negotiis secularibus,vt ei placeat cui se probauit.*(2.*Tim.*2.)Longa est hîc Diui Iohannis Chrysostomi narratio (in Matth.hom.26.)vbi ostendit ex Ecclesiæ opulentia duo mala oriri, vnum: quod laici eleemosynas exercere cessent, alterum quòd Ecclesiastici derelicto suo, quod est animarum, officio, fiant

Procuratores, Occonomi, & Publicani, exercentes res ministerio suo indignas. Aliquando dicunt Ecclesiastici grauiter conquerentes sibi vetitum esse id quod aliis cuiusuis conditionis hominibus, etiam abiectis & ignominiosis concessum est, quasi deterioris sint conditionis homines. Ad quid respondeti potest, primùm non omnia omnibus conuenire, neque sequi, si quid aliis permittitur, etiam iis permitti debere, si conuenit militibus & nobilibus vt armati incedant, igitur iis idem permittetur? & nisi concedatur, se lęsos arbitrabuntur, & tãquam omnibus aliis inferiores, tractatos? Deinde si alicuius conditionis homines in Republica possideant, eos non conuenit plura acquirere. Constantinus Porphyrogenitus, Romanus, & Basilius imperatores Constantinopolitani sanxerunt leges ne Patritij, & Senatores, Episcopi, monasteria &c. ab inferioribus suis, emptione, donatione, aut testamento, acquirere possent. (*Nouell. extrau.*) ad conseruandum id membrum Reipublicæ necessarium: sic Senatus de suorum subditorum bonis, aliam legem cum bona sua administratione congruentem, quando opus fuerit, sancire poterit: & nunc sancit legem in Ecclesiasticos, quia ita Reipublicæ corpus regere conuenit, ne membrum vnum debito plus crescat, & corpus prodigiosum faciat, & sumendo nimio alimento, aliis membris noceat, debitum tollendo alimentum & ex seipso cibos non concoquente superfluum malis humoribus repleatur, vnde nascatur primùm in eo infirmitas, & deinde totius corporis exitium. Sed Ecclesiasticorum status in hac ditione membrum est, quod potest esse centesima totius numeri hominum pars, & ad se attraxit non

vnam

vnam bonorum portionem quæ huic numero correspondeat:sed in Patauiana ditione plusquàm tertiam, in Bergomosca plusquàm mediam partem: neque est ibi locus vllus vbi ad minimum quartam bonorum partem non habeat:& si adhuc ei concederetur vt acquireret, non dubium est quin alios omnes pauperes linquens nudos,& seruos, & tollens omne laicis alimentum,totam regionem occuparet.

Locus & Tempus præsens requirunt legem quæ eiusmodi excessum prohibeat. Iam olim cùm Ecclesiasticus Status regebatur secundùm formam à Diuis Apostolis institutam,quam S. patres illos imitati obseruauerant,vtile erat vt bonis abundaret: &in Reipub. corpore,erat tãquam stomachus,qui quidem cibos omnes excipiebat,paucos autem pro se concoquebat,multos verò pro aliis. Ita cùm Ecclesiastici multa possiderent, & parcissimè suorum censuum bona,in sui gratiam participarent, & reliquum omne in eleemosynam darent,multam Reipublicæ vtilitatem afferebãt,Ideò etiam omnes eorum possessiones & facultates augere optabant, quandoquidem quò plura possidebant, eò maior erat Reipublicæ vtilitas,in qua Ecclesiastici pauperum tutores,& procuratores erant,& laboriosi, ita vt nullum inde sequeretur prodigium : cùm bona Ecclesiasticorum essent cum bonis communibus, totum corpus analogicè,non in sola parte augebatur.Sed mutata hac laudabili consuetudine,bona & facultates præteritæ Ecclesiasticorum, excedunt in magnificentiam;idque nimium dissimile est corpori Reipublicæ cui grauissimum esset incommodum,si amplius cresceret:nec posset regi,sed neces-

sarium esset,vt aut ad debitam mensuram reduceretur,aut totius cor poris exitium succederet.Et si loquuti quidem sumus de bonis Ecclesiasticis, tanquam omnibus iis communibus,non ideò æqualiter inter eos diuisa est possessio,quinimò tertia religiosorum pars non aluntur Ecclesiasticis censibus,sed eleemosynis & laicorum oblationibus;possessionibus & prouentibus ad exiguum Clericorum numerum pertinentibus,qui vix,quartam ipsorum partem attingit,& quod maioris est ponderis, eorum media pars extra statum habitant, & hi ad se omnes ipsorum prouentus cum euidentissimo Reipublicæ damno alliciunt.Et si melioribus seculis quando homines cœlestia magis quàm mundana curabant,& quando Augustini florebant, qui Ecclesiæ legatas hereditates recusabant, ipsis priuatis liberis(*Ad fra.in ere.sec.*52.)tanta quęsita sunt, quid in posterum fiet?cùm nunc exstent qui vano artificio maiora acquirenda persuadent, verendum est ne intra ducentos aut trecentos annos, ita excrescant eorum quæsita, vt totius ditionis domini reddantur.Sunt Monasteria à trecentis annis exstructa quæ non habent quartam partem prouentuum, quos habent quæ à quadraginta annis dumtaxat ædificata sunt.Nunc adsunt multi Religiosi quibus prohibitum est stabilia bona possidere, quæ prohibitio,quando tolleretur,quod probabiliter fieri posset cùm videamus id factum,cum quatuor numerosissimis religionibus, exceptis aliis multis minoribus: videte quot vno momento acquirerentur.

Multa sunt in principiis suis bona, quæ in progressu commota,perniciosa fiunt,Ecclesiasticorum

quæsi-

quæsitum in principio suo optimum, per quatuor gradus ad præsentem statum peruenit: primùm vendebantur possessiones, & pretio alebantur Ecclesiastici & pauperes (*Act.*4.) Existimabantur deinde stabilia bona retineri, & prouentibus pauperes ali. (*c. futurum &c.*...) Tertiò fiebant quatuor partes, Prima pro Episcopo, secunda pro Clero, tertia pro ædificatione, quarta pro pauperibus. (*c. concesso.*) Nunc silent beneficia & nata est opinio quæ ab omnibus Theologis, & bonis Canonistis, reprobatur, nempe, *Clerici sunt Domini fructuum*, preterquàm quod Sacri Canones, & Sancti Patres constanter prædicarunt, pauperum esse bona Ecclesiastica. Idcircò etiam Sacrum Tridentinum Concilium, *Omnino interdicit Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiarésve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis vt pauperibus distribuant*: & paulò infrà, *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam secularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione, obseruari, sed ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit.*

Idcircò Ecclesiastici non deberent ita sinistrè interpretari legem ad publicam necessitatem factam, adeò cum æquitate & iustitia congruentem, & dicere constitutam esse vt abiectis hominibus inferiores habeantur. Potius dicere possent, satius fore vt Apostolis conformes viuerent (*Act.*4.) forsan affirmare volunt ipsos Apostolos sua omnia bona firma vendentes, & eleemosynam dantes abiectis hominibus inferiores fuisse?

Inferre volunt se esse deterioris condicionis,

quàm ignominiosos homines? fortasse tantæ Regulariũ Conciones, quæ non possident, ignominiosæ habebũtur? Et si respõdeant, ipsos libẽter id facere, instantia dari potest, nempe voluntarium, aut inuoluntarium, discrimen constituere circa generosum aut dignum, sed non circa honorati aut abiecti essentiam. In hanc quæstionem consideratione dignissimus est Canon quidam, vbi dicitur *(de conse. distin. 1. c. vasa.) Bonifacius martyr & episcopus interrogatus si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc è contrario lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus.*

Sed ipsi voluntario contenti sint eo quod habẽt, quod magnopere ipsorum partem exuperat, & sic concordes erimus. Imitatione dignum est Mosis exemplum Exodi c. 36. qui cùm populum inuitasset, vt aurum, argentum & alia huiusmodi pretiosa ad Tabernaculi exstructionem offerret, & plusquàm opus esset oblatum fuisset, publico edicto statuit vt nullus amplius vllam rem offerret. Sed alia adhuc proferebatur ratio, Si hisce legibus Ecclesiasticis libertas læderetur, tũ legibus Ecclesiasticis quæ prohibent ne Laicis Ecclesiastici emancipẽt, etiam secularis libertas læderetur, & hoc modo ipsi possent sancire leges quę aliis libertatẽ tollerẽt, & alij nõ poterunt idẽ in eos exercere. Tã firma est & valida ratio, quàm vtile est vt stabilia bona ad Ecclesiasticos peruenire nequeãt: potest tamen pretiũ peruenire & cum priuilegio etiam ipsa bona iusta emptione. Sed Ecclesiastici possunt emancipare Laicis quouis contractu, gratis, aut vendere, aut permutare si non cum vtilitate: Et si Laici qui maiorem

iorem habent occasionem, de hoc non conquerun-tur: quare ipsi conquerentur de minori? Huic parti Colophonem imponam, dicto, quod nempe ante 400. nostræ salutis annos Valentinianus, Valens, & Gracianus leges sanciuerunt (*C. Theo. de Ep. & Cler. l. 20.*) Ne Clerici possent acquirere rem vllam à nobilibus mulieribus &c. quæ lex etiam missa fuit Damaso horum temporum Pontifici Romano, qui eam promulgandam curaret, & promulgata fuit, & diutissimè Romæ obseruata: & S. Girolamus qui eius meminit in Epistola ad Nepotianum, dicit se non ægrè ferre legem, quoniam eam meruerant quidem Clerici, sed sibi eorum auaritiam quæ causa est quòd eam sanxissent Principes, displicere.

Sancita fuit eiusmodi lex in Saxonia, à Carolo M. illustris memoriæ, diúque custodita. Anno 1300. Edouardus iij, (*Polyd. l. 13. hist. Anglicæ*) Angliæ rex sanxit legem, ad amussim huius similem, & quantumuis Ecclesiastici aliquantum repugnarint, nihilominus executionem sortita est. Ludouicus Molina (*de contr. t. 2. d.* 140. *l. 2. t. 8.* §.) testatur esse vnã legem in Portugalliæ constitutionibus, Ecclesias, & Monasteria emptione, successione, aut donatione non posse stabilia acquirere; ne crescãt debito plus, laicorum detrimento, possessiones, & prouentus Ecclesiastici: adiungens, etiam in aliis Hispaniæ regnis illam ipsam legem in vsu esse. Certum est Iacobum Arragoniæ Regem (*Petr. Bollug. in spè. prin. R.* 13.) statuisse in Regnis illi Coronæ subditis, ne Realencorum bona (ita enim vocant eos qui aliquid Regi persoluunt) ad Ecclesiasticos sine regia permissione peruenire queant. In Gallia) (*C. de Hen. iij. L. 17.*) eadem lex à S. Ludouico constituta fuit

quod est notatu dignissimum: & deinde à Philippo I I I. à Philippo Bello, à Carolo Bello, à Carolo V. à Francisco Primo, ab Henrico II. à Carolo IX. & ab Henrico III. confirmata. Et cùm iam à trecentis annis Respublica Veneta hanc legem in Ciuitates, & Ducatus sui gratiam stabiliuisset, non dicendum est eius extensionem ad totum Statum esse innouationem, quādoquidem Saluius Iulianus respondet(*C. de vet. iur. enucl.* §. *sed etsi*) *omnes debere sequi leges & consuetudines vrbis Romæ.* vt refert Iulianus Imperator. Et in Sicilia anno 1296 Federicus Rex(quemadmodum scriptum est in illius regni Capitulari) statuit legem eadem forma Venetæ legis anni 1536. nisi quòd solum in annum producit.

Pius V. pariter in terra, vbi saltus copiosissimè nascuntur, cùm quilibet magnum Monasterium ædificasset, quia non vastabatur illa terra, prohibuit in perpetuum Ecclesiasticis potestatem acquirendi à Laicis: & Clemens viij, animaduertens quantum Sancta Loreti ædes possideret, vt Laicos conseruaret, prohibuit ne ipsa amplius acquireret. Etiam Genuæ est generalis constitutio, vt omnia bona Reipublicæ dedita sint, ita vt non possint Ecclesiasticis alienari. Aliquis quidem respondet Papam Clementem eiusmodi legem tanquam Principem Temporarium sanxisse, à se tanquam à Papa impetrato sanciendi priuilegio. Consideratio callida valde, sed non conformis solidæ doctrinæ Theologicæ, & morali, quæ vult, cùm Deus dederit statū regendum ei qui maiestatem habet, cum absoluta potestate in temporalibus, vt habeat etiam authoritatem à se, & sine priuilegio, aut permissione cuiuspiam

piam fanciendi omnes illas leges,quæ ad eum ftatum conferuandum neceffariæ funt.

Nunquam reperiet quifquam Deum præceptum dediffe,ad quod adimplendum oporteat ab altero permiffionem petere.In rebus indifferentibus, aut bonis,fed liberis, poteft fieri vt error contra fuperioris voluntatem committatur, fed in iis quæ nituntur expreffo Dei præcepto, vtendum diui Petri dicto(*Act.5.)obedire oportet Deo magis quàm hominibus*.Deus dicat Principi fancito eas leges,quæ tranquillitati publicæ neceffariæ funt,& fi deficias, ego me læfum dicam:& hîc velit obfequendi permiffionem?licentia quæritur,vbi, fine qua *non licet*. Tum quod Deus iubet nónne licet facere?Quando natura dat finem aliquem, dat omnia media neceffaria quibus poffit comparari, & Deus dabit finem & præceptum,quod exfequi non poffint vlli nifi fe cognofcant hominum fauore vti?hoc nimis abfurdum eft.Sed ad legis materiam reuertamur, quæ vt non eft nouum inuentum, ita de ea etiam celebres Iurifconfulti egerunt,& tanquam iuftam tuiti funt, & inter alios,Baldus,Archidiaconus,Abbas,Signarolus,Alexander,Barbaccius, Crotus, Tiraquellus, Gęlius,Renatus Copinus.(*Bal.c.qua in Ecclefiarum, c.Ecclefia S.Mariæ de conftit.Archid.c.Romana , de app.in 6.Abbas l.1.conf.63.Signorolus conf.21. Alex. confi.93.Barbat.l.2.conf.14.Crotus l.1.conf.1.Tiraq.de retract.confang.§.1.gl.13.Gail.l.2.conf.32.Copin.de pac. pol.l.3.tom.1.*Ex quorum lectione,quilibet detegere poterit num ea lex erat res, in quam cum Cenfuris animaduertere liceret, & præfertim cùm non obferuatæ fint reales Iudicij conditiones. Vnde optimè ad rem fuerit dicere etiam aliquid de ordine

seruato ab eius Sanctitate, vt appareat quanta irrita sub hac tractatione fuerint, dicam de ita facto negotio, quia iudicium, deficiente materia, nominari nequit. Theologi dicunt, iniustum iudicium, posse quidem extrinsecùs referre iudicium, sed non intrinsecùs, & omne iudicium iniquum etiam à se nullum esse, neque iudicium iniquum magis esse iudicium, quàm homo mortuus, est homo. Sed adhuc videremus in hoc defectu formæ, & conditionum realium, id nullius momenti reddi. Primùm sine vlla præcedente citatione, declarat veteres leges, & nouas de non alienandis bonis, & non extruendis Ecclesiis sine priuilegio, esse aduersus sedis Apostolicæ, & libertatis Ecclesiasticæ, authoritatem, & ipsos Legislatores in censuras incidisse. Et tamen citationem esse de iure naturali, & declarationum inquisitionem, etiam Censurarum, notissimum est, etiam post omnes Iurisconsultos. Quod sufficit ad demonstrandum tam supradictum compendium, quàm omne quod deinde illius vi sequutum est, nullum esse. Sed quòd nunc tanti viri pij in Christo defuncti, qui continuò cum Pontificibus communicarunt sui temporis, excommunicati declarentur, quid aliud est quàm eos qui eius Sanctitatem præcesserunt condemnare? & affirmare eos animarum curam non gessisse, prout debebant & nihilominus præter illos fuerunt Pontifices excellentibus virtutibus, & sanctitate præditi.

Reddit Papa rationem cur deliberarit aduersus Rempublicam procedere, dicens: [Cum prætermissionis officij nostri & causæ, Ecclesiæ desertæ à nobis rationem extremo iudicij die, à Deo exigi nullomodo velimus: neque enim existimetis nos,

qui

qui alioquin pacis, & quietis publicæ cupidissimi sumus, omnésq; nostros cogitatus eò intendimus, vt soli Deo inseruientes, rem Christianam, quantum possumus, pacatè gubernemus, quíque omnium animos, præsertim maximorum Principum, nobiscum ea in re consentientes esse optamus, si aliquando sedis Apostolicæ authoritas lædatur, si Ecclesiastica libertas, & immunitas impetatur, si Canonum decreta negligantur, Ecclesiarum iura, & Ecclesiasticarum personarum priuilegia violentur, quæ muneris nostri summa est, id aliquomodo dissimulaturos, aut officio nostro defuturos: hac verò in re id vobis persuasum esse volumus, nos nullis rationibus humanis moueri, aut quicquam preter Dei gloriam quærere, aliúdque habere propositum, nisi perfectam, quoad eius fieri possit, Apostolici regiminis functionem.] Et non abs re eius Sanctitas diuinum timet iudicium, quando deesset officio pastorali: ideò Deus per Ieremiam minatur, [Veh pastoribus qui dispergunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ: dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum, Dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus] populo verò pollicitur, [Dabo vobis pastores iuxta cor meum & pascẽt vos sciẽntia & doctrina.] Ideóque certum est summum pastoralis muneris esse Euangelij prædicationem, sanctas admonitiones & institutiones morum Christianorum, Sanctissimorum Sacramentorum ministerium, pauperum curã, correctionem delictorum, quę excluduntur à regno Dei, res quas Deus Diuo Petro commendauit, &

dedit pro munere, quas solas tam ipse, quàm alij Sancti Martyres eius successores per secula exercuerunt, non eo modo quo tenebræ luci succedunt.

Gloriam Dei videmus esse in Euangelij propagatione in Sacris Scripturis, & in pia Christianorum vita: & denique, vt Diuus Paulus ait, in exterioris hominis mortificatione, & interioris vita. (2. Cor. 4.) & in excercitio operum charitatis. Sed si Dei gloria consisteret in bonorum temporalium copia, multùm nobis timere deberemus; quandoquidem suis nonnisi paupertatem, persecutiones, incommoda promisit Christus. (Ioan. 15.) & tandē, quemadmodum ipsum vulgus cognoscit labores, & perpessiones, sunt visitationes, & probationes amicorum Dei, & nemo, ait Euangelium, (Matt. 8.) sequitur Christum, nisi post impositam humeris propriam eius crucem.

Longè discrepat à Diui Pauli doctrina (1. Cor. 13.) quod ab aliquo sparsum fuit, in multis locis, & multis personis, ídque est, non posse perspici quam ob causam hæc ciuitas de religione commēdari queat. Etenim quamuis illis abundent eleemosynæ, & opera pia erga pauperes, & Ecclesiarum ornamentum, & cultus diuinus, tamen Christiani copulatio est iurisdictioni Ecclesiasticæ fauere: & huiusce rei contrarium Venetiis videtur. Diui Pauli sententia est, (1. Cor. 13.) *Si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Legitur in Sancto Euangelio, Saluatorem nostrum die Iudicij repetiturum rationem operum pietatis, & misericordiæ non factæ. (Matt. 25.) *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non operuistis*

ruiſtis me, infirmus & in carcere & non viſitaſtis me.

Modò tollatur ſceleratis licentia lædendi proximum & ſecularibus pars vna portionis bonorum, quæ ipſis competunt relinquatur, non verendum eſt ne Deus repetat rationem, an poſſimus æquo animo pauperibus omnia Eccleſiæ bona largiri, ſine dubitatione Deum ideò offendi.

Non tamen hîc non deſiſtendum eſt à perpendendis vltimis illius Compendij verbis, vbi dicitur, *Quinimò nulla ali a rati one meliùs publica illa Chriſtianæ religionis incommoda, in quibus euitandis tantoperè inſiſtitis, longè à vobis propulſabitis, quàm ſi Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, qui pro vobis dies, ac noctes excubant, & aßiduas ad Deum preces effundunt, immunitates & iura, (prout religioſos, & pios viros decet) conſeruaueritis.*

Reſpublica, profectò opus habet auxilio, orationum Eccleſiaſticarum: ideóque continuò ſi Eccleſiaſticis commendat: nec ignorat dicere Sapientem, (Eccleſ. 21.) *Deprecatio pauperis ex ore vſque ad aures perueniet*: & dolet quando aliqui his ſanctis operibus parum intenti, cauſa ſunt cum malo exemplo, multorum peccatorum, laicis: vnde cùm placanda eſſet diuina iuſtitia, & ad miſericordiam erga nos commouenda, magis irritatur eius ira vt caſtiget nos cũ infidelibus. Nõ debemus credere ditiſſimorum & meliùs accommodatorum preces poſſe magis flectere Maieſtatem diuinam, de qua ſcriptum eſt (Pſal. 21.) *Neque deſpexit deprecationem pauperis.* Si hoc ita eſſet, multùm malè feciſſent, & facerent cum hac doctrina tãti Sãcti Monachi & Heremitæ qui vixerunt, & viuunt in anguſta paupertate, & abiectione, cum firma fide ſuas preces facilius in cœ-

lum coram Deo ascendere posse.

Sed tempus est vt ad tertium caput controuersum transeamus, quod est in materia de iudicio in Ecclesiasticos, quæ res seorsim tractari debet, quandoquidem etiam diuerso tempore de ipsa materia Compendium oblatum fuit, fortasse diuina prouidentia disposuit, vt, quemadmodum diximus, ab aliquo ex ministris Pontificiis peccaretur in dilatione oblationis Compendiorum, vt eius Sanctitas aliquod haberet otium meliùs perpendendi quanti ponderis esset negotium quod incipiebatur: sed nihilominus non desiit eius Beatitudo imperare, vt aliud Compendium de duobus in carcerem coniectis offerretur, quemadmodum factum fuit 25. Februarij cum supra scripta, *Marino Grimano Duci, & Reipublicæ Venetorum*, licèt eius Sanctitas esset conscia mortis eius Principis, iam duobus antè mēsibus successa, & curasset facienda officia congratulationis Principi Serenissimo eius nunc successore. Hanc actionem aliquis Canonista eorum doctrina tuebitur, *Papa est iudex viuorum & mortuorum*, sed potius credendum est eum arbitratum esse, cùm eadem sit dignitas, non nocuisse personæ mutationem, in quo Canonistas omnes sibi contrarios habebit, qui volunt, vt cùm de Censuris, odiosa materia, vocatis, agitur, verba angustissimè accipiantur. Vbi si arbitratur, Serenissimum Ducem præsentem admonitum eo iri, non ei concedemus, siquidem aduersus illum etiam in hoc capite egit, sine acti obseruatione, quod iudicij reale est & substantiale, idque est citatio pro declaratione & admonitione pro Censuris. Certum haberi debet, Pontificem, si audiuisset rationes quibus nititur Reipublicæ Venetorum

torum authoritas iudicandi Ecclesiasticos, nunquã hac de re verbũ monuisse: sed cum ipsius Reipublicæ ea patientia, caritate,& maturitate,quam sibi ab eius Sãctitate pollicebatur,tanquã vniuersali Christianismi patre rationes tractare,& audire noluerit: mirum non est si ipsius Reipublicæ iudicia calumniet affirmantis ea niti vsu & cõsuetudine maximè pia,& quibusdam Pontificum Compendiis.

Respondit paucis Senatus ad Pontificis Compendium: Se mirari quod quotidie nouum dissentionis argumentum nascatur, & quod tentent multi euertere ea fundamēta super quæ eius libertas per 1200. annos stabilita est: propterea à natiuitate ipsius Reipublicæ Maiores eius à Deo acceperunt authoritatem, quemlibet delinquentem puniendi, quam continuò in honorem Maiestatis eius diuinæ exercuerunt,cum publica tranquillitate, & eorum qui eius sanctitatem præcesserunt approbatione, & vniuersali laude.De consuetudine vllo modo non egit: cùm potestatē suam multò altiùs & firmiùs, quàm supra vsum, etiam immemorabilem fundatam habeat, ideóque ipsa pro indubitata habet Theologorum & meliorum Canonistarum doctrinam, immunitatem Ecclesiasticorum à foro seculari in delictis non Ecclesiasticis, sed temporalibus, aut,vt ait Iustinianus,ciuilibus,de iure diuino non esse:sed principis priuilegio: si tamen aliquis nobis significationem verborum, ius diuinum, tam latè accipere,aut abusiuè,vt velit ius humanum,dicere.

Hæc doctrina, quòd Ecclesiastici, nisi immunes fierent priuilegio, & gratia, forent Magistratibus secularibus subditi; demonstratur, & confirmatur exemplis veteris Testamenti, vnde apparet omnes

reges imperasse, & iudicasse & puniuisse Sacerdotes: neque id à malis regibus, aut mediocribus solùm: sed à sanctissimis, & piissimis, Dauide, Salomone, Ioa, Ezechia, & Iosia, factum fuisse, idque expressis verbis in Euangelio, in sermonibus Christi Domini nostri ad Pilatum (Ioan.19.) *non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset de super.* Addēdo (si quis vellet alienum aliquem sensum dare (S.Augustini, S.Bernardi, Cardinalis Gaetani expositionem, Pilati iudicium iniquissimum fuisse, sed non vsurpatum, (*super Ioan.tract.*116. *Epist.*42.*in* 2.*q.*61.*a.*1.) Præter quid habetur etiam confirmatio exemplo Diui Pauli, qui cùm coniecisset festum sub iudicij prętextū Hierosolymis, velle in Hebręorum manus ipsum tradere, Cæsarē appellauit, quod nunquam fecisset nisi legitimus iudex fuisset, cùm peccatum mortale sit appellare eum qui potestatem legitimam non habeat. Occurrit quidem quædā consideratio à Neoterico Scriptore facta, diuum Paulum Petrum appellasse, sed id non præstitisse, ne dementia existimaretur: consideratio acuto quidem intellectu digna: sed nō iam digna, firma Diui Pauli constantia, quòd veritatem non dixisset, præ timore ne de amentia accusaretur. Non habuit rationem illam coram Festo, non desiit proferre verba propter quæ respondit ei Præfectus, *Insanis Paule*, Et idem ipse Paulus dixit (Act.26.1.Cor.1.) *Nos prædicamus Iesum Christum crucifixum, Hebræis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*; & nihilominus non desinebat dicere & prædicare id quod sciebat dementiam existimari. Ideò ne fiat vllomodo hæc Diuo Paulo iniuria, quandoquidem verè sanctissimus Apostolus non meruit, Sed quid de Diui Petri (1.Pet.

(1.*Pet*.2.)eiusdémque diui Pauli præceptis dicemus? qualia sunt [Subiecti igitur estote omni huma næ Creaturæ propterDeum, siue Regi quasi excellenti,siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.Et de hoc(*ad Tit.3.*) Admonet illos Principibus & potestatibus subditos esse,dicto obedire.] Et de illo quod habetur 13. cap. ad Rom, quod si tanquam Sol ad qualescunque dubitationis tenebras illuminandas [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo,quæ autem sunt,à Deo ordinatæ sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt,ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis,sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum,si autem malum feceris,time, non enim sine causa gladium portat,Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit:ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: Ideò enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in ipsum seruiẽtes:Reddite ergo omnibus debita, cui tributũ, tributũ,cui vectigal vectigal,cui timorem,timorem, cui honorem, honorẽ.

Videant S.Augustinum qui se ipsum etiam collocat inter numerum qui principibus subditi sunt.*Ex pos. ad Rom.nume. 72. super epistolam ad Rom. Homel.....in expos.* Videant Chrisostomum,Theodoretum,Theophilactum,& Ecumenium,qui apertissimis verbis Apostolos,Euangelistas,Prophetas, Sacerdotes,& Monachos includunt. Legant S. Tho-

mam in eundem locum,& videant,ipsum affirmare apertè omnem immunitatem Ecclesiasticam esse ex principis priuilegio.Sed S.Bernardus ad Archiepiscopum quendam scribens clariùs dicit (*Ep.* 42.) [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est:si omnis,est & vestra: quis vos excipit ab vniuersitate?si quis tẽtat excipere,conatur decipere.]Cõsiderent contradicentes,num vnquam vlli ex Sanctis Pontificibus,Episcopis,aut aliis sacerdotibus, dixerint se esse immunes à potestate Principis aut magistratus,nunquam vnum reperient: sed reperient quidem, vnumquemque subiectionem, confessum esse , negando solùm iustitiam in causa propter quam condemnati erant.

Famosum habemus exemplum S. Policarpi Episcopi Smirnæ,discipuli Diui Ioannis Euangelistæ, vnius ex nostræ fidei fundatoribus , ab Apostolis, excellentissimi:cuius verba ab Eusebio relata hæc sunt.(*Euseb.l.*4.*c.*4.)[magistratibus enim , & potestatibus à Deo constitutis, cum honorem qui nostrorum animorum saluti, nostræque religioni nihil affert detrimenti pro dignitate tribuere docemur.] Quidam dicunt iuberi ab Apostolo subiectionem, Principibus,quando infideles erant, sed non ex quo Christiani facti sunt: ídque quia Ecclesiastici,ordine sacro & authoritate spirituali maiores sunt:& huic rei S.Iohannes Chrisostomus paucis respondet,[Si enim Paulus,cùm gentiles adhuc essent principes,præcipit, multò magis oportet & fidelibus exhibere,quòd si maiora sibi concredita esse dixeris,disce non nunc honoris tui tempus esse, peregrinus enim hîc es,& aduena,tempus erit cùm omnibus apparebis illustrior,nunc verò vita tua abscondita

ſcondita eſt cum Chriſto in Deo,quando Chriſtus comparuerit,tunc & vos comparebitis in gloria.

Sed quis dubitet immunitates Eccleſiaſticas eſſe principum conceſſiones,eorum leges,& priuilegia reperiantur ? & videantur omnes eodem tempore non conceſſæ,ſed paulatim? Quas ad cuiuſuis ſatiſfa ctionem,qui de ea re certior fieri velit,quandoquidem plurimum intereſt,per tempora ipſarum immunitatum,extendam.

Conſtantinus circa annum 315.immunitate donauit Eccleſiaſticos à factionibus publicis,perſonalib. & Curialibus,(*C.Theod.de Epiſc.& cler.l.2.ibi.l.10.*) Conſtanſus & Conſtans eius filij adiunxerunt immunitatem à factionibus ſolidis,& à Cenſibus : & ſolis Epiſcopis immunitatem à Iudiciis fori ſecularis conceſſerunt(*ibid.l.12.*)aliis Eccleſiaſticis tam in criminali quàm ciuili cauſa , iudiciis Secularibus, ſubditis manentibus,& hac de re,habuerunt poſtea alias leges.(*ibid.l.23.ibid.l.37.ibid.l 41. ibid.l. 47.*) vnam Valentis & Gratiani circa annum 380. alteram Arcadij,& Honorij circa 400.Sed circa annum 420.Honorius & Theodoſius II. & deinde idem Theodoſius cum Valentiniano III. conceſſerunt Epiſcopis Clericorum iudicium, quando ambæ partes contentæ fuiſſent.

Magiſtratibus Secularibus remittendo, quando vna pars Epiſcopum acceptum ferre nollet:quæ res etiã confirmata fuit à Martiano circa annum 640. & à Leone eius ſucceſſore: tandem à Iuſtiniano circa annũ 560.(*C.de Epiſc.& Cle. l. cum clerici,C.eod.l. omnis qui*)ſtabilita fuit omnis varietas,cum lege,vt Eccleſiaſtici in cauſis ciuilibus Epiſcopo ſubditi eſſent, in cauſis verò criminalibus ſeculari Iudici,

quod durauit ad annum vsque 630. quando Heraclius(*Nouell.83. Nouell...*)immunes eos facit à Magistratibus secularibus,tam in Ciuilibus,quàm Criminalibus,salua tamen semper legatorum à Principe missorum authoritate: & vsque ad Imperij diuisionem semper ita obseruatum fuit, & post illam diuisionem semper eiusmodi fuit Ecclesiæ Græcæ vsus & mos,quantum durauit Imperium.

Sed apud Occidentales,Imperatores, Franchi, & Saxones,& Itali reges variè obseruarũt, interdũ iudicia Ecclesiasticis relinquentes,modò etiã & Presbyteros & Episcopos iudicantes: Sed cùm ipsi Pontices Romani, aliquando remittebant partim iudiciũ Ecclesiasticis,partim ipsis magistratibus, prout Temporum ferebat varietas,nunc vigente authoritate Pontificia, nunc Imperatoria: tandem Federicus II. circa annum 1220. statuit Authentica codici Iustinianeo inserta(*Auth. C.de Episc. & cler.l.statuimus*)vt nullus in iudicium seculare posset vocare, tam in Ciuilibus quàm Criminalibus, vllum,Ecclesiasticum: & quiuis leget Titulos,[de Episcopis,& Clericis, & de Episcopali audientia, vel de Episcopali iudicio,] in Theodosiano & Iustinianeo, reperiet omnes has leges, & plenam cognitionem habebit, quomodo Ecclesiasticorum immunitas, fuerit gratia ab Imperatoribus concessa: & etiam testabitur certò, licet ipsi concesserint Clericis immunitatem à suis Magistratibus,tamen ab ipsorum suprema potestate neminem vnquam immunem fuisse. Potestas puniẽdi quodcunque aduersus leges committitur, ita cum principatu coniuncta est, vt ab illo superari nequeat, & idem est dicere Principẽ in suo statu habere aliquem sibi non subditum

in rebus

in rebus Temporalibus, aut qualicunque alia bonum publicum ſpectante, ac, principem non eſſe. Diu ſtare non poſſet corpus, quod in ſe partem vnam, eſſentiæ internæ non deſtinatam haberet: nec minus ciuile corpus, quod in media ſui parte, hominem qui alium, quàm principem agnoſcat, in humanis & Temporalibus, durare non poteſt. Ipſemet Papa, in ſpiritualibus quemlibet immunem facit ab Epiſcoporum, Archiepiſcoporum authoritate, ſed à ſe ipſo neminem immunem facere poteſt, niſi deſinat eſſe Papa. Cùm Venetorum Reſpublica, nata libera anno 420. etiamſi, vt aliis omnibus potentibus accidit, non dilataretur, in principiis ſuis in magnam & ſpatioſam ditionem, nihilominùs à Deo non minùs quàm alij potẽtes principes in ſuo magno Imperio, in quãcunque ditionis ſuæ viuentẽ perſonam poteſtatem accepit. Et Eccleſiaſticis permiſit ipſa Reſpublica, vt fruerentur iis immunitatibus à magiſtratibus, quibus fruebantur imperij ditiones ſucceſſiuè: puniens in illis eos ſolos exceſſus qui quòd enormes & graues eſſent, publicam tranquillitatem turbare poterant: remanentibus monumentis delinquentium Eccleſiaſticorum in qualicunque delictorum generè punitorum, & interdum etiam in delictis, quæ nunc leuia haberentur. Sed quæ neceſſariò dignæ erant propter aliquam peculiarem circumſtantiam, quæ Reſpublica corrigeret. Et quamuis Pontifices Romani varia fecerint(*c. at ſi clerici de iudi. c. clerici, eodem c. cum non ab homine eod. c. qualiter, & quando eod. Decreta, ab anno* 1160.)de Clericorum immunitate, iſta nihilominus recepta non ſunt integrà in vllo loco iuxta vllum Principem, neque potuerunt impetrare, vt de-

licta læsæ maiestatis non fuerint iudiciis sæcularibus subdita, ferè per totam Italiam vapulant Clerici, etiamsi non moniti, vt non incedant cum habitu non obstante immunitates, & decreta Pontificia. In Hispania idem fit in delictis de armis gerendis & aliis multis. In Gallia distinguuntur delicta communia & priuilegio donata: eáque sola Ecclesiasticis remittuntur, iudicantúrque à Secularibus.

Respublica pariter distinxit delicta in grauia, & leuia, leuia quidē foro Ecclesiastico, grauia verò magistratibus remittuntur, & ita perrexit semper exercere iustitiam, & suæ iurisdictionis libertatem. Non dicemus hanc esse consuetudinem solùm, quæ contraria legi, temporis diuturnitate, authoritatem vsurparit in ipsam legem. Non dubitamus consuetudinem aliquando posse legi diuinæ & naturali, etiamsi à mille annis esset, nocere: & ingenuè fatebimur, omne actum, cuiusuis Principis in contrario facto, fore vsurpationem, & Dei offensionē, si Ecclesiasticos Deus immunes reddidisset: sed adiūgemus quidem etiam cum bona eorum venia, ipsos immunitatem suam de iure diuino iactare, quòd si ita esset, eos submittendi potestatem Papa non haberet: & ideò seculares non essent idonei ad exercendum, ex Papæ dispositione, quod Deus prohibuit. Deus prohibuit Secularibus ne Missam canant, confessionem audiant &c. Papa vllomodo id suis ordinationibus aptum reddere nequit. Quòd si dicant, hoc esse, *Ius diuinum*, quod dispensari nequit, illud verò Papæ dispensari posse, ne disputemus & fatigemur in Contradictionis demonstratione, quæ est dicendo Ius diuinum, & dispensabile humana

potestate,

poteſtate, opus erit eis reſpōdere omnes rationes, quę poſſunt acquiri Papę diſpenſatione, *Innoc. c. cū Apoſtolica. de ſem. de priuil. C. quod quibuſdam, de verb. ſignif. c. in his. c. ſuper quibuſdā.* etiā conſuetudine, quæ legi contraria accidit, poſſe acquiri: & ſi præſupponimus clericorum immunitatem lege ordinatam fuiſſe, & executionem habuiſſe, & deinde immemorabili conſuetudine contrarium præſcriptum fuiſſe, dico, legitimè poſſe exerceri. Sed in noſtra re, authoritas & vſus Reipublicæ precedunt tempore quamuis legem, quæ immunes fecerit Eccleſiaſticos à iudiciis in cauſis criminalibus enormibus: neque qualecunq; decretum Eccleſiaſtici fecerint potuit vllo modo nocere. Huic adiungitur tacita omnium Pontificum conſenſio, qui hoc videntes & ſcientes, niſi decorum eſſe iudicaſſent, illud reprehendiſſent. Et eadem approbatio expreſſa etiam à Sixto iiij. Innoc. viij. ab Alexandro Sexto, & à Paulo Tertio; quorum compendia in Reipublicæ arcis conſeruata, verè probant quàm iuſtè ea lex conſtituta ſit. Quod in ſuo compendio ſcripto ad Venetorum Patriarcham, dato vltimo Octobris 1487. apertè demonſtrat Innocentius, qui oſtendens quomodo, cum ratione Reſpublica iudicaſſet Eccleſiaſticos non ſolùm in atrociſſimis, ſed etiam in omnibus aliis grauibus delictis & atrocibus, his vtitur verbis, [Nos attendentes priuilegia ad bene viuendum dari, non ad delinquendum, illáque præſidio bonis contra improbos eſſe debere, non autem malis ad nocendum facultatem, &c.] Res quę non his temporibus ſolùm ſæpiſſimè occurrit, verùm etiam tunc erat frequentiſſima, quemadmodum

Sixtus Papa Quartus, in quodam suo compendio ad Venetorum Patriarcham, sub 2. Iunij 1474. hisce verbis testatur, Cogimur non sine cordis nostri dolore plurima quæ nollemus de personis Ecclesiasticis audire ex ista ciuitate, præsertim in qua nonnulli sæpe aut monetas adulterasse, aut crimen læsæ maiestatis admisisse dicuntur.

Et si aliquis, vt probaret, immunitatem esse de iure diuino, si vellet vti exemplo Constantini in Niceno Concilio, bene relegat, & dicet, num pro se, an verò contra mentem suam faciat, Iustiniani Imperatoris Nouellæ 3.5.6.11.83. 123. 131. 133.137. cum copiosissima declaratione demonstrant, quales Clerici sub illo Imperatore immunitates habuissent, & quibus antè illum fruiti essent. Si igitur in principio, Imperatorum priuilegiis, & deinde cõniuentia immunitates habuerunt, cur tantos rumores spargunt, quando Venetorum Respublica ait, si alij in Statu suo concesserint, vt vbi enormia delicta ab Ecclesiastico iudicarentur, credentes & iudicantes id posse suæ administrationi conuenire, se nihilominus id nunquam concessisse, aut ei rei assensisse, quin potius publicæ suæ tranquillitati contrariam existimasse.

Addi potest hîc in nullo Regno, aut ditione, has immunitates eodem modo vsurpari: & qui leget quantum scribant Criminalistæ, & Clarius (*l.5.§.fin. q.36.*) peculiariter, videbit quàm variè variis in locis executionem habuerit, & vsurpata fuerit hæc immunitas, argumento indissolubili probatur, quod non sit de iure diuino, siquidem regere eã potest consuetudo, & Paparũ decreta ea de re in omnibus locis recepta omnino non sunt.

Hícque

Hícque etiam conſiderari debebit, regnantem Pontificem in compendio 10. Decembris dicere, in carcerem coniectos eſſe Canonicum & Abbatem, [perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas.] Præſto eſſent mille Pontificia compendia, ad demonſtrandum quòd [Canonicatus non eſt dignitas:] ſed cum eiuſdem opinionis eſſent in Monitorio typis mandato. Canonicum excluſerunt, & de ſolo Abbate dixerunt, [Perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam.] Adeò vt colligatur, etiā in Pontificiis compendiis errorem committi poſſe, quando maximè nimia cum celeritate ſcribuntur, quæ cauſa eſt quòd quantum opus ſit, nō conſiderentur. Sed ſine dubio adhuc non eſt, an hî Abbates commendatitij ſint dignitas, necne, quādoquidem ſacrum Tridētinum Concilium commendationes prohibet. Plurimum nihilominus intereſt eius quod tractamus, quòd ſit dignitas, & quòd ſuprà hoc baſim iaciat Papa: ita vt, ſi eſſet miſer aliquis Sacerdos beneficio carens, res tanti momenti eſſe non exiſtimaretur: ſed dignitatis qualitas ſpecialis eſt, ad maiorem & probabiliorem reddendam immunitatem: cùm certum ſit in Eccleſia collocatos eſſe ordines, qui ſunt Sacramenta iure diuino, inter quos ordines ſummus, eſt Sacerdotium: ſed hæ Abbatum, Præfectorum, Archidiaconorum dignitates iure humano introductæ ſunt: igitur ſi immunitas eſſet iuris diuini, præcipuè eſſet in Sacerdotibus, etiamſi gradu careant: & non in ſpecialibus, quemadmodum volunt, dignitatibus. Ac ſanè, qui volet hunc rationum nodum ſoluere, id ſine magno & vano labore non tentabit. Hoc argumentum requirit vt

in persona Papę duæ qualitates reperiri cõsiderẽtur, vna Pontificis Romani Ecclesiæ particularis Episcopi, & vniuersalis, Capitis, alia illius status quẽ possidet, Principis: quæ etiãsi nunc coniungãtur, non tamẽ necessariũ est, vt Princeps Secularis Romanus sit Põtifex, neq; vt Põtifex sit Princeps.

Nunc explicandum non occurrit, ambas istas qualitates vnitas fuisse, non forsan à quadringentis annis: sed concedatur etiam iam ab 800. annis id factum fuisse, id nihil ad narrationem nostram. In ciuitate Romæ tanquam Pontifex. Vicacarium suum habet, in aliis ciuitatibus subditis Archiepiscopos, Episcopos, & alios Rectores Ecclesiasticos: & tanquam Princeps habet ministros suos Gubernatores, Iudices, & alios, qui etiamsi Presbyteri sint, tamen non quatenus Presbyteri illa munera obeunt, multósque etiam præterea habet Laicos. Nunc si quis Ecclesiasticus, Presbyter, aut Frater, enorme delictum committat, videamus, non Episcopos, & eos qui administrationem Ecclesiasticam gerunt, eum punire: sed Gubernatores, Auditores, &c. Vidimus Turrim Nonæ, Sabellam Aulam, ingentem Bolonię Turrim, aliósque Laicos carceres Presbyteris plenos, & Fratribus morte mulctatis à Iustitia: & quod maximi est momenti, visi sunt suspensi Fratres cum habitu Canonico, sine vlla Pontificatuum Sixti & Clementis dignitatis imminutione. Hæ res profectò necessariæ, & iustæ fuerunt, alioqui Ecclesiasticus Status tranquillus non videretur. Ideo hac necessitate alij Status non carent: & si placeret eius Sanctitati metiri aliena opera mensura, qua vtitur, & quam suis tradidit, non damnaret

Prin-

Principes, qui Presbyteros non tanquam Presbyteros vitam agentes, puniunt.

Sed non creditur id ex aliis Statibus emergere posse, quod ex proprio emergere nequit, deberemúsque exemplum eius quod ab aliis fieri volumus, prębere : quia videntes malum quod inde resultabit, cum alienis necessitatibus pateremur.

Non ignoro quod dabitur responsum, ídq; est, Papam suprà narratas duas qualitates habere : vnã Principis, alteram Pontificis: tanquam Principem videndo necessarium esse bonę sui Temporalis Status administrationi, vt potestate seculari enormia Clericorum delicta puniantur, à se tanquam Pontifice permisionem nõ requisiturum: & quémadmodum sibi concedit, ita etiam aliis, si in gratia postulent, cõcessurum medicina intolerabilior, quàm infirmitas, & corpori perniciosior: & responsum quod etiam indiuisibile diuidit. Nonne facilius esset dicere Pontificem, quatenus Princeps est, cognoscere necessarium esse bonæ Status sui administrationi, castigare authoritate Temporali quemlibet, vel Ecclesiasticum, qui quietem perturbat ? Sed non perspiciens aliorum Principum & Statuum facta, neque consentiens eos habere authoritatem à Maiestate diuina, cognoscit solùm proprium Pontificis & Patris vniuersalis authoritatem: ideóque vult stare ab ipsorum, administrationum partibus.

Hîc sese quidam opponunt, dicentes omnem castigationem, esse peccantis correctionem, alioquin nisi ad hunc bonum finem spectaretur, opus tyrannicum esset: sed vniuscuiusq; correctio, superiorum est: Ideóque Principis non interest, si pec-

cans, Ecclesiasticus corrigatur, necne. Intentus sit tamen castigationi Laicorum, quòd si Ecclesiastici non punirentur, Antistites Deo rationem redderent. Et verò concluderet ratio, si subiectum eius verum esset, correctionem delinquentium esse iustitiæ criminalis solum finem. Est finis certus, sed est finis secundarius, & quod minus est, est vtilitas priuata; quod præcipuum est, est finis Publicus: & in duobus consistit: vnum est, in conseruatione bonarum consuetudinum ciuibus, & ciuitati tranquillitatis & quietis: alterũ est, in restitutione æquali rerum, si aliquis sibi aliquid plus vindicet, vexando eum, aut damnum inferendo præter rationem, tãta pœna analogicè ipsi inflicta. Quando Ecclesiasticus postponit timorem Dei, & mundi, à lege abit, Rempublicam lędit, præbẽs Laicis exemplum, quod cum imitentur, improbi redduntur: & præterea inuitat etiam illum, qui se ab ipso læsum videt, vt vindictam sumat cũ quietis, & tranquillitatis publicæ euersione. Quibus de causis principis munus esse debet, vt castigetur delictum: alioquin propter supra dictam rationem non deberet princeps vnquam punire peregrinum, qui in suo statu peccasset: quandoquidem, cùm non sit eius subditus, non debet eius vtilitatem curare. Princeps peregrinum punit, nõ ipsius correctionis, sed subditi proprij ab iniuriis defensionis rationem habens, quemadmodum tenetur, & vt arceat mala exempla, quæ possunt prauos mores in publicam quietem introducere. Non valet igitur dicere, si vtilitati publicæ necessarium est, vt puniatur Ecclesiasticus, procuret princeps eius correctionem ab Antistite, neque permittat vt id Laici magistratus exequantur.

Ideoque vt reſpondeatur,neceſſarium eſt conſiderare Eccleſiaſticos propter delicta vel grauiſſima, & maximè enormia non poſſe, ſecundum ſacros Canones ſanguinis pœna punire:ſed caſtigare cenſuris ſuſpenſionis, priuationis, depoſitionis, & irregularitatis pœna:aut imponere pœnitentiam orationum,ieiuniorum,& aliorum eiuſmodi operum:ſeueriſſimáq; ſententia eſt, in Monaſterium aliquod,aut anguſtiorem carcerem relegatio ad perpetuæ pœnitentiæ actionem, quam non videmus hiſce noſtris temporibus exercitam fuiſſe,ob grauiſſimum quemlibet exceſſum. Quin ſi aliquoties damnant hiſce pœnitētiis ad aliquod tempus longum, poſt humilitatis pœnitentiæ factam relationem, & promptitudinis ad morem gerendum, ei remittunt & gratiam delictorum facilè faciunt. Et quantumuis Iuſtiniani mandatum eſſet, vt propter delicta ſeculari poteſtati traderentur nihilominus communis & vſurpata Canoniſtarum opinio, eſt vt hoc tantùm fiat in tribus, nempe hæreſia, literarum Apoſtolicarum falſificatione, & aduerſus proprium Epiſcopum conſpiratione. Quoad cętera affirmant, ſi Clericus commiſerit enorme delictum, & grauiſſimum, vel ſi ipſum ſummum Pontificem è vita ſuſtuliſſet;quoties offeret, ſe pœnitentiá agere velle,non debere capite minui,& poteſtati ſeculari tradi,ſed in perpetuum carcerem relegari. Ex hoc modo & conditione Iuſtitiæ, ſequitur, Eccleſiaſticos facilè incidere in legum tranſgreſſiones : quia cùm maiorem vtilitatem aut delectationem afferat peccatum,quàm damnum,aut faſtidium, pœna eligunt potius hoc malum ab ipſis minus exiſtima-

tum, quàm vt propriis appetitibus & libidinibus priuentur: neque vllomodo vitæ timentes (quod multum delinquentes coercet & prosternit) & sperantes etiam si castigentur pœnis aliquibus Ecclesiasticis, fore vt sese accommodent omnia æqui boniq; consulentes: & ideo licentiam sibi faciunt sine respectu, quodlibet scelus perpetrandi: præterquam quod à foris Ecclesiasticis non puniantur delicta quæ publicam tranquillitatem turbant, sed ea quę magis ipsos spectant. Ideóq; non tantùm Laici interest Apostolicarum literarum falsificatio, aut aduersus Episcopum coniuratio, quæ sunt res (vt suprà dictum est) propter quas capitis minutio constituta est, sed proditio, læsa Maiestas, monetæ falsitas, homicidium, propter quas res Ecclesiasticas suas pœnitentias imponerent, eæ sunt quæ ad tranquillitatem Reipublicæ magna & manifesta seueritate puniri debent. Et verè Antistes qui solus Clericos regit, non potest quicquam facere quod eos non spectet, corúmque vtilitatē: quemadmodum pater-familias non castigat filios suos & seruos, nisi solum bonum domesticum spectarit: Principis castigationes solę, suorúmque seruorum, carpunt viam & spectant verè ad commune beneficium, quod est realis castigationis finis. Dictum quod propter enormia delicta, quæ publicam quietem turbant, Clericus ab Antistite puniatur, non aliud significat, nisi quod illa pœna referatur ad bonum ordinis Ecclesiastici, & quòd Laici totius damni delictorum commissorū participes fiant: & boni quod ex eorum pœna nascitur, nullam portionem accipiant. Et iuuat verum dicere, Antistites nunquam puniunt Clericos propter

pter læſos ab iis Laicos,niſi inſtantia ipſis à Magiſtratibus facta,pręt imore, ne ipſi defectum ſuppleant:& ratione freti ſunt, quia eorum prouincia eſt Presbyterum regere, non autem Laicum defendere. Sed Princeps qui tributa, aliáque officia à ſubditis ſuis recipit,vt defendat vitam, honorem, & fortunas eorum, ſine peccato deſerere eos non poteſt,quando eorum qui ſub immunitatum prętextu, quodlibet facinus, audent, audacia opprimuntur: permittens vt delinquentes impuniti abeant, aut ſolis ſpiritualibus pœnis caſtigentur: ſed tenetur eos ad iuſtitiæ cõſeruationem & aliorum exẽplum punire: maximè cùm ipſe Princeps à Deo Creatore conſtitutus ſit, quemadmodum diuus Paulus ait, [Miniſter Dei vindex in iram ei qui malum agit:] qua in re ſi deficit, etiam cum ditionis priuatione punitur: [Aequum de gente in gentem, transfertur propter iniuſtitias, iniurias, contumelias,& diuerſos dolos.]Et præter Dei offenſionem in quam incidit Princeps deſerens ſubditos,& negans iis debitam protectionem,ſequũtur alia mala quæ omnia ad publicum exitium ſpectant. Laici læſi ab Eccleſiaſticis in ſanguine, honore,& fortunis, ſe priuatos videntes iuſta illa vindicta, quæ fit authoritate publica, ad priuatam quibuſdam rationibus mouentur: & quod prius eſt,timentes ne iterum lædantur, nec ſperantes ab Antiſtitibus iuſtitiam,præuenire ſtudent: & ita ex vno malo mille alia naſcuntur, quæ ſeditionum & grauiſſimarum in Ciuitatibus perturbationum cauſa ſunt.

Quod quò magis dicitur ad defenſionem iudiciorum Eccleſiaſticorum, immunitates à foris

Laicis, clericis in illius ordinis honorem concessas esse, quem quòd cultui diuino consecratus sit, eò magis ratio vult obseruari:idque est res, quam omne bonum iudicium in contrario sensu intelligit:quia si velit in honorem illius qui peccatum admisit dicere: Primùm ille non est dignus qui honore afficiatur:diuúsq; Paulus ait,[vis nō timere potestatem?bonum fac & habebis laudem.]deinde bene dicit Socrates,vnumquemque peccantem infœlicem esse: infœliciorem tamen si pœnam effugiat. In honorem bonorū multò minus, quia possunt infici improbrum consortio,maioríque honore afficiunt quando prauo consortio carent: consilium dat Paulus,[Auferte malū ex vobismetipsis, modicum fermenti totā massam corrumpit.] Vnde si ipsi sacris canonibus, non possint, tristibus vitam tollentes,excludere eos à suo numero,dignitati Ecclesiasticorū proderit, quod eorum bonitas à malis purgata,authoritate principis,sincera restet:ideóque honorari. Non potest dici vlla alia libertas ipsis esse sublata,nisi malè faciēdi libertas. Ex his cōsiderationibus manifestissimum est Venetam Rempublicā,tam in legum constitutione, quàm iustitiæ administratione,eam Principis supremi Temporalis sibi à Deo datam potestatem nullomodo excessisse:neq; meritam esse vt secum ita cum censuris Ecclesiasticis ageretur:eóq;magis quòd tanta cum celeritate ad fulminationem ventum est, vt quis de rebus Romanis audiens miretur,vnde nascatur,quòd causæ (vel exigui ponderis) Romæ tanta cum productione tractētur,vt ea maximá ex parte potius litigantium morte,quàm iudicum sententia terminentur:

nentur : & nihilominus in re tanti ponderis non celeriter, sed præcipitanter iudicium factum sit. Quandoquidem sub initium Nouembris, solùm sermocinationes harum causarum inchoatæ sunt, ita vt in v. mensibus peruentum sit ad deliberationem ter centena millia animarum excommunicandi, & interdicendi, tanto regionis & ditionis tractui : maximè quòd intolerabili impatientia expectatum sit semper hoc tempus, cum querimonia, vt quæreretur dilatio, ad temporis vsum. Peruenítque eius Sanctitas ad eiusmodi sententiã, Cardinalibus solis notitia communicata, sine voluntatis eorum inquisitione, quemadmodum fieri solet in tanti momenti rebus, ídque non sine aliqua Curiæ Romanæ submurmuratione, cùm mos sit non solùm Cardinales eiusmodi argumentorum participes facere, sed etiam eos in consilium adhibere. Et deinde stabilito, typísque mandato adhuc vltimo ipsius compendio 17. Aprilis, eadem die de eo in Consistorio loquutus est, & immediatè id affirmauit, & intimauit. Et in hoc digna magno etiam stupore res est, cùm Romani profiteantur, neminem alium lites agere nouisse, séque in seruando ordine vti summa vigilãtia, trito hoc, tanquam prouerbio, [Omnis processus formatus extra Curiam vt plurimum est nullus. Nihilominus in tanti momenti causa, sine citatione actum fuerit. Dicunt tandem ipsi esse de Iure naturæ, & semper in ore habent, [Adam vbi es? &, vbi est frater tuus Abel?] Et deinde hoc obseruatum non fuisse videtur. Et si quis dicat duo compendia x. Decembris citationis loco esse, hæc tres obstant rationes. Prima, duo illa compendia prima x. De-

cembris adhuc huic infirmitati insanabili obnoxia esse, quia in eorum altero cùm Senatus leges nullæ, & legislatores in Censuras incidisse declararentur:ad hoc non poterat responderi,nisi priùs facta citatione ad contrarias rationes referendas. Deinde, aliud est monitio, aliud verò citatio, quemadmodum optimè Iurisconsulti demonstrant:illa imperat, vt dicto obediētes simus, tanquam in re decisa:hæc accersit ad videndum,num bonum sit,num necessarium, aut morem gerendi officium: ideóque cum in illis compendiis imperet reuocationem legum, & consignationem carcerum, sub censuris, & pœnis,non citatoria, verùm monitoria vocari possunt: neq; dici possunt in citationem resolui, cùm spatium vllum nō habeant,sed immediatè executionem imperent.

Neque potest dici de citatione agere Monitorium,quod dat 24.dierum spatium,cum in eo declarentur nulla,& aboleātur Reipublicæ decreta, non post 24.dies, sed eo ipso tempore 17. Aprilis: igitur eiusmodi abolitio in citationem nullomodo resolui potest. Et multò minus etiam, quoad reliquum, deficiente iustificatiua clausula, sine qua non solùm vnquam in citationem resoluitur, sed etiam monitorium ipso iure nullum est,simul cum ipsius excommunicatione,vt probat Nauarra in caput,*Cùm contingat*; 8.*causa nullitatis*. Sed omnes alios defectus condonando, vnde apparet citatio,aut monitio in legem 1602.quam de bonis emphyteoticis esse dicunt, & quæ verè magis est de bonis censualibus aut ad longum tempus locatis, quæ nihilominus Monitorium ingreditur, primo loco, & aboletur, cùm non intelligatur

quis

quis sit eius sensus, neque quibus defendatur rationibus? Saltem semel de ea disceptare audiuissent: facta fuisset aliqua extra ordinem iudicij narratio, sed quòd ex improuiso primum damnata sit, magna est & scandalum pariens admiratio.

Fortasse necessarium non erit se in tractationem de hac Emphyteoticorum causa diffundere: quãdoquidem insignis iste defectus in ordine iudiciali commissus est. Sed quia aliquis fortasse cõpendiose alicuius cognitionis Reipublicæ hac de re nominum desiderio flagrabit, ab hoc proposito, aliqua attingere alienum non erit: ex quibus legitima Senatus in constituenda Lege authoritas perspiciatur, necessitásque quę eam mouit, & ęquitas in re constituta: & identidem num in intelligentia verborum, & huius legis causarum, aut de industria, aut imprudenter in aliquem errorem inciderit.

Pontifex in Monitorio dicit, Ducem, & Senatum à 23. Maij 1602. sumpta occasione à lite mota inter doctorem Franciscum Zabarellam, ab vna parte, & Monachos Pragenses ab alia, statuisse nõ solùm: vt monachi tum, aut in posterum, non possent agere sub quouis nomine, vt prçferrẽtur bonis Emphyteoticis à Laicis possessis, neque obtinere proprietatem bonorum supradictorum, prçlationis, consolidationis, aut lineę exstinctionis respectu, aut alia quauis causa saluo eorum iure: sed etiam vt id intelligeretur declaratum & constanter diliberatum quoad omnes alios Ecclesiasticos, & omnia loca.

Ex hoc nõ apparet num eius Sanctitas arguat Senatus decretum, quod extendat ad omnia loca &

personas Ecclesiasticas, id quod in causa Monachorum & Doctoris decisum fuit, nihilominus supradictam decisionem in priuata controuersia approbans: an verò vtrumque simul reprehendi intelligatur.

Quòd si concesso, quòd senatus haberet legitimam potestatem illi liti finem imponendi, negatur posse declarari, legibus vniuersalibus, idipsum in quauis alia causa declarari & intelligi: hoc non poterit vllomodo ab ingenio quouis mediocri capi: cùm manifestissimum sit, eidem potestati conuenire in aliqua materia legem sancire, & in ea occurrentes controuersias particulares iudicare. Aristoteles (*Polit.3.*) ostendit iudiciū esse legem particularem, & legem esse iudicium vniuersale: & posse sufficere, quando iudex affectibus vacans reperiretur, aut vero solam legem sufficere quando comprehendi possent omnes particulares circunstantiæ: & in Iustinianeo Codice *L.3.t.5. ne quis in sua.* videtur Iurisdictio duo capita continere, iudicare nempe, & ius dicere; hoc spectat constitutionem decreti qui sententia nititur: illud verò eius pronuntiationem. Et prætoris Romani officium erat generalia decreta sancirè: & iudices constituere, qui illis conforme in causis particularibus ius administrarent si lex spiritualis esset, iudex verò secularis, ipse eam non intelligeret, neq; secundum eam iudicare posset. Scientia spiritualis, & mundana actio non conueniunt. Regula, aiunt Philosophi, & regulatum debent esse homogenea, ideóque Iurisconsulti, maximè rationi consentaneum dicunt, [forum sortiri & statutis ligari paria sunt, [*Plau.Cast.l. omnes populi, ff. de inst. & iur. De-*

cius

cius c.qua in Ecclesiarum,&c. Ecclesia Sancta Maria,de constitut. Alex. Cons. 201. *l.* 2. Idcirco qui concedit Senatum legitimè causam inter Monachos & doctorem iudicasse,debet etiam concedere ei potestatem decernendi vniuersaliter id quod fuit regula in iudicio quod occurrit, & in iis quæ occurrent esse debet.

Sed si intelligatur etiã de reprehensione cognitionis, & decisionis à Senatu in Monachorum & docteris causa factæ, hoc est quod optimè demonstrat quantum necessarium erat tantùm non progredi, & primum formare Monitorium, & præcipuè in hoc caput, non perspecta sententia in lite formata,aut controuersia nominata.

Cùm verum non sit doctorem ea in causa actorem fuisse, Monachos verò reos vt præsupponit Monitorium dicens,[Inter Doctorem &c. ex vna, & Monachos &c.ex altera partitus.]

Cum anno 1508 Corsatus de Corsatis acquisiuisset ab Andræa Monaldo octo campos, qui Pragensi monasterio tributum exsoluunt, Doctor 1602. die duodecima Februarij vt ratione confinij ad se retraheret, pretium deposuit, 2. Martij Monachi arbitrantis se tanquam Dominos iuris agrorum illorum illi prælatum iri,coram Patauiæ Prætore se stiterunt, & de lite disceptarunt,prælationem existimantes,qua in causa etiam coram illo magistratu multis actis processum est, quousque, secundum huiusce Status constitutiones, Doctoris, & communis Pataujanæ Reipublicæ precibus cognitio ad Senatum translata est. In iudicium Laicum, Monasterium non vocauit Doctor, sed ipsi Ecclesiastici cognouerunt,huiusce

causę iudicium ad ſeculare iudiciũ pertinere, quandoquidem ad id recurrerunt: qui ſolus recurſus, quando etiam alius hîc non eſſet, prætori iuriſdictionem dediſſet, etiámque Senatui in ea cauſa, quemadmodum diſertiſſimis verbis declaratur, *l. prima, C. de iuriſd. omn. iudic.* Sed præter hoc ſolidum, firmúmque fundamentum, additur iſtud aliud validiſſimũ & vniuerſale; ab immemorabili tempore multo ante 200. annos ſuperiores, quando de bonis à Laicis poſſeſſis actum eſt (quodcũque tandem nomen imponatur, Emphyteoticorum, aut Cenſualium, aut feudatariorum, aut in longum tempus locatorum, aut alio quouis titulo) nunquam in hoc ſtatu iudicem Eccleſiaſticum iudicium exercuiſſe, ſed ſemper & ſine contradictione vlla cognitionem, & iuriſdictionem penes Seculare iudicium fuiſſe.

Vnde non ſolùm probatur à Senatu iuridicè determinatam eſſe controuerſiam Monachorum à Doctoribus, ſed etiam ipſi propriam eſſe poteſtatem ſtatuendi decreta, quæ bona ſupra nominata à Laicis poſſeſſa, in quæ ius habet Eccleſia, diſponant & regant. Idcirco eius fuit, & eſt, vt de controuerſiis quæ natę ſunt, & naſcuntur circa ea bona, iudicet: prætereáque oſtendimus eidẽ poteſtati conuenire decernere, & iudicare. Superſunt in omnibus Cancellariis Ciuitatum tabulæ actorum coram iudice ſeculari iudiciorum, ex quo huic ſtatui ſubiectæ ſunt: neque poterit oſtendi vnum iudicium in foro Eccleſiaſtico tractatum. Quandoquidem Eccleſiaſtici rei in iudicium vocati non fuerunt, ſed ſponte Actores ad iudicium adfuerunt, vſurpatio vocari non debet, ídq; quod magis

magis rationem perſtringit eſt,quod in eiuſmodi controuerſiis intra Eccleſiam & Eccleſiam , ipſæ ad iudicium adfuerunt, pro iuſtitia in alterutram Eccleſiam. Quin firmiter credendum eſt, principium huiuſce introductionis fuiſſe valde Canonicum, quandoquidem illius ſeculi Eccleſiaſtici, valde probi,& Eccleſiæ nominum ſtudioſi, & Põtifices pariter accuratiſſimi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ conſeruatores erant:& ita hi vt illi optimè ſciebant naturam fundorum propter quos ſe corã iudice ſeculari ad poſtulationem ſiſtebant,nedum vt vllus vnquam hanc iudicandi conſuetudinẽ reprehenderet, ſicque certiſsimè dici poſſunt ipſi eam introduxiſſe. Eſtque Iuſtiniani diſertiſsima conſtitutio, conſuetudinem aliis tantam, quantã dat lex iuriſdictionem dare.

Sed quandoquidem eius Sanctitas in Monitorio,ait Senatus decretum , conſtituiſſe,in bonis Eccleſiaſticis Emphyteoticis, neceſſarium eſt aut vt eius miniſtri aliã Scripturam habuerint,aut alio affectu præoccupati crediderint ſe vidiſſe in ea Scriptura,quod non aperitur vllo modo,neque in ſenſu , ideò illud nomen Emphyteoticis, neque formaliter neque æquiualentibus verbis ibi eſt, neque ſeſe excuſare queunt eiuſmodi ſenſum fuiſſe, prout expoſuerunt: cum nõ liceat alienum dictum alienis verbis referre, & maximè quod in genere dictum eſt, ad vnam ſolam ſpeciem reſtringentes. Lex vetat,ne Eccleſię poſſint bona à Laicis poſſeſſa ſui iuris reddere, reſtantibus nihilominus eorum directis nominibus. Verum non eſt ibi eſſe diſtinctionem directi & vtilis ſolùm in Emphyteoticis, ſed hæ ambæ ditiones in bonis patrimonia-

libus reperiuntur, de quibus agitur in quodam titulo libri 11. Codicis Iustiniançi, *titul. de fun. patrim. l. siquis fundos. l. fundi patrimoniales. l. hi. quibus.* quorum ius potest esse in Ecclesia, si princeps concesserit ei Ecclesiæ, & quamuis hæc possidendi consuetudo obsoleuerit in Italia, sub Francis Imperatoribus eorũq; successoribus, in eiúsque locum successerit feudum, non tamen non restant in Ecclesiis, maximè Cathedralibus aliqua huiuscemodi bona, quæ data fuerunt priusquam Constantinopolitani Imperatores, ab harum circumiacentium regionum Imperio excluderentur. In locatione perpetua etiam directũ, & vtile sunt, vnde tamen (quemadmodũ in supra dictis fundis) in prelatione, cõsolidatione, & lineæ exstinctione locum non habet: quemadmodũ Couarruuias, & Valasco à multis citati Doctoribus, probant efficaciter, licet quidã imprudentes in contrariũ tendãt.

Magna ex parte cura directa Ecclesiarum quæ sunt in hisce regionibus inferioribus circa mare, quæ aliàs paludes & valles erant, eiusmodi sunt generis. Idcircò cùm terrena omnia sub aqua essent, nullum alium fructum præter calamos carperent, in perpetuum aut in longissimum tempus locabantur, ob leuissimum aliquem canonẽ fructibus, quos producebant, respondentem; etiamsi nunc propter immensum sumptum, & Seculariũ laborem, & publicum, & priuatum, in subleuando terreno, siccanda palude & deriuanda aqua, ad præsentem statum reducta sint. Vbi ius non habet Ecclesia, neque iustitia scripta, neque æquitate ad existimationem prelationis, aut deuolutionis, aut alius cuiusuis, sibi propria ea terrena red-

dat,

dat, & ſupra hæc maxima ex parte verſatur Senatus lex, quemadmodum etiam ſtatuit in aliud bonorum genus, vt dicetur.

Ideò occurrit, vt perſoluendus ſit Eccleſiæ canon iure reſeruati cenſus, in aliqua ſtabilia bona, aut quia Eccleſia ipſa in antiquis venditionibus reſeruationem ſtipulata cùm ſit, aut quia deinde, reſeruato cenſu ab aliis venditoribus dominis, ab eis illi datum ſit. Qua in re cenſus reſeruatus ſine dubio in perpetuũ ad Eccleſiá pertinet: ſed ſupra ſtabile nullo modo reſtat ei dominium, cuius vi poſſit exiſtimare, conſolidationem, aut prælationem, aut retractionẽ, aut eiuſmodi alias actiones.

Feudum etiam eſt huiuſce naturæ, vt in illo directum ab vtili diſtinguatur; & miror quòd volentes legi Senatus addere, aut in ſenſu alieno à ſuo vero declarare cum hoc vocabulo *Emphyteoticis*, ad grauius factum reddendum, non dixerint, *Feudalibus*. Sed fortaſſe tam vltra non progreſſi ſunt, quia non ſperabant, id reſtiturum ſine animaduerſione, cùm vox ſit vulgaris, & quæ ab omnibus plenè intelligitur.

Vocabulũ *Emphyteoticis*, paulò magis abſconditum, & creditum eſt eſſe commodius vt occultè introduceretur: ideò non debet non contradici, in lege Senatus illud vocabulum non vſurpari, *Emphyteotici*, & vniuerſaliter agi de omnibus contractibus, & poſſidendi modis; vnde duo dominia, vtile & directum, diuiſa manent, neque licèt vlli velle reſtringere, aut alio modo declarare contra eius verum ſenſum, ad eliciendam inde ſequentem concluſionem in Monitorio poſitam, quòd alio modo explicari non poterat, ſcur præ-

missa in aliquibus Ecclesiarum iura, etiam ex contractibus initis ipsis Ecclesiis competentia, auferant.]

Nouum non est, Ecclesiasticos vt venirent in bona possessa à Secularibus tentasse nomen Emphyteoticorum, nominibus quibus censum & annuum recipiunt, imponere. Sed à 200. annis multæ Italiæ ciuitates hanc ob causam tumultum aduersus eos excitauerunt: ipsíque aliquando coacti sunt à suis pr̨etensionibus descendere, & Canone quem recipiebant, contenti fuerunt.

In eadem Patauiana ciuitate, iam 150. anni sunt, quòd transactæ sunt magn̨ę controuersiæ inter cõmunem Rempublicam, & Sanctæ Iustitinę & Pragiæ Monachos, hac de re lites per transactionem terminarunt, vnde declaratum fuit, præter alia, in omnibus villicationibus eorum non habere locum caducitatem, prælationem, consolidationem per lineam finitam, quemadmodum constanter affirmabat Ciuitas hactenus ab immemorabili tempore eam fuisse consuetudinem, & vsum. (Extant capitulæ authenticę transact.)

In ciuitate Vrbino etiam ante illud tempus magna controuersia inter Clerum & Populum agitata est, quæ pariter per transactionem finiit, cum diserta declaratione, vt consolidatio per lineam finitam locum nunquam haberet. (*Paul. Cas. l. Consil. 244. l. 2.*) Antea adhuc Ferrariæ hac de re fuerunt graues & periculosi tumultus, ad quorum seditionem Papa Bonifacius IX. potius tanquam summus Princeps, quàm Pontifex, non gratia sed iustitia coactus est in feudis Emphyteoticis, & aliis similibus Ferrariensibus contractibus authore pr̨e-

re caducitatem, prælationem, consolidationem per lineam finitam,& nouam formam iustitiæ,& æquitati conuenientem dare, quæ magis ad naturam censuum, quàm alius contractus educeret, doctorésq; perspecto insigni damno quod patitur Laicus ex deuolutione,aut cōsolidatione ad lineam finitam, communi sua sententia penitus sustulerant, dicendo, in eiusmodi re proximum propinquum, posse per iustitiam petere vt inuestiatur, & eo negato appellare posse, multíque ad hanc specificationem veniunt, etiamsi Ecclesia stabile sibi vellet, aliíque addunt Ecclesiam non solùm teneri, inuestire, sed etiam non posse Canonem crescere.*(Vide Clar.& Valasc. Ruin.cons. 12.Vol.1.Decius Consil.131.Bero Cons.98.l.1.Abbas c.bonæ,de postul.præl.& consil.113.Curt.Sen.cap.47. Riminal.cap.44.)*

Mirum non est quòd lege, aut transactione in supra nominatis locis sublata sit caducitas,propter non solutum Canonem,aut prælationem in venditione; & consolidationem propter lineam finitam, cùm nulla harum conditionum ad contractum necessaria & essentialis sit. Sed id omne quod lege fieri potest,etiam facto potest, etiámq; consuetudo id introducere potest:Ideóque in hoc statu longa & præscripta consuetudo, quæ immemorabilis videbatur iam à 150.annis potuit aliquibus paucis bonis,(si ita sit,vt quædā essent) auferre caducitatem,prælationem,& consolidationem, & introducere vt extra Canonis solutionem, patrimonialia & allodialia haberentur. Videatur Cons. 72. Panormitani, longa est narratio, consuetudinem etiam in Emphyteoticis Ecclesiasti-

cis potuisse Vrbinum introducere, vt tolleretur conditio caducitatis, Quæ nihilominus Ecclesiæ vtilissima est, siquidem ea, Ecclesia acquireret meliorationes sine solutione, prælatione, aut consolidatione ad lineam finitam, suas credere nequit nisi pretium iustum persoluens: vnde argumento à simili, etiámque à maiori, eò magis potest consuetudo prælationem aut consolidationem ferre. Additur huic statui peculiare non esse, vt aliquod bonum Emphyteoticum allodiale fiat: sed in Gallia omnia Emphyteotica eiusmodi fiunt, vt testatur D. Ioan. Rub. Auth. Ingressi, de sacrosanctis Ecclesiis. Quę res ostendunt, & ęquitatem, & necessitatem eiusmodi legis. Quam licèt Venetus Status, illo tempore in forma legis scriptę per totum suum Statum vniuersaliter promulgatę, non constituit: in vsum nihilominus & consuetudinem recepit, & in rescriptis causarum occurrentium, sanciuit, obseruauit, & exsequutus est hactenus.

Hîc multa sunt Principum huiusce Ciuitatis cum ipsius Collegio decreta, quæ successiuè in controuersiis inter Ecclesiam & Laicum, vel inter Ecclesiam, & Ecclesiam, terminarunt & concluserunt de non admittenda caducitate, aut prælatione, aut consolidatione vtilis cum directo, & interdum clausulas generales rescriptis suis, quæ omnes euentus comprehendunt, imposuerunt, quemadmodum Vendramini Ducis 1476. tempore, in rescripto, ad Prætorem Montisferr. supra eiusmodi particulari controuersia, hæc verba addit: [nunquã pati volumus (etiã in bonis Ecclesiasticis) quenquam, qui diu tenuerit agrum aliquẽ

iure

iure liuelli, quem ſumptibus & laboribus ſuis melioraucrit, ſic de facto expoliari, ſed tantùm quòd ſoluat liuellos non ſolutos.] Et ducis Mori tempore,in reſcripto ad magiſtratus Brixianos anno 1466. cùm excluſiſſet Abbati Lenæo poteſtatem retrahendi ad ſe vlla ſua villicationum bona vendita aliis,addit,[Et de hac noſtra intentione date dicto Abbati notitiam, & declarate, ne contra eam dictos Chriſtophorum,& Cornelium inquietet, ſed acquieſcat huic voluntati noſtræ, quia hoc idem in aliis terris, & locis noſtris ſeruari volumus,& facimus in ſimilibus.

Ex quo manifeſtè apparet hanc non eſſe legem nouam, ſed in conſuetudinem ab antiquiſsimo tempore ſtabilitam,& confirmatam, non ſolùm magiſtratuum, ſed ipſius Principis peculiaribus iudiciis,de quibus lex ait, [ſi cauſam Princeps inter partes cognouerit,& ſententiam dixerit,eſt lex in aliis ſimilibus omnibus: & ſecundum Iuriſconſultos*(C. de leg. l. ſi imperialis, Afflict. d. 313. Menoch. vide conſ.676.num.2. 487.num.3. 973.nu.20.)* legis vim habent, etiamſi de particularis alicuius caſus deciſione ſolùm fuerint: quemadmodum Canonicæ leges ferè omnes ſunt particularium caſuum deciſiones.Sed multò magis, cùm adhuc habent ſignificationem voluntatis Principis generaliter expreſſam, in ſimilibus ſupradictorum caſibus.Hęcque facta ſunt à Republica id videntibus, & ſcientibus,nec repugnantibus,ideóque non ſolùm Eccleſiaſticis qui repulſam ſuarum petitionũ patiebantur, ſed etiam Nuntiis Apoſtolicis, & per conſequens ipſis Pontificibus tacitè id quod fiebat iuſtum & neceſſarium approbantibus:

adeò vt quod Senatus deliberauit 1602. sit declaratio & explicatio in scripto veteris legis, quæ posita erat in consuetudine & directis rescriptis, ad particulares Magistratus, quemadmodum in ea ipsa lege exprimitur apertiùs illis verbis. Rerum nostrarum vtilitas requirit, ad quietem & subditorum consolationem, vt hæc materia ita terminetur, vt non solùm in præsenti Zabarellæ occasione, sed in re alia quauis similis naturę, nūquam diuersa succedat in posterum à bona consuetudine, & iudiciis, secundùm conformitatem, sępissimę sequutis. Non prętermittam adiungere, quòd si in eiusmodi lege minimus fuisset scrupulus, Papa Clemens Octauus in cuius Pontificatu promulgata fuit, Pontifex studiosissimus, & qui in hac ciuitate ministros vigilantissimos habebat, eam non dissimulasse.

Et si huiusce constitutionis verba lecta fuerūt, nihilominus apparet audiendo nominari consuetudinem, conuenire, vt videatur, & intelligatur primùm, quid sit consuetudo, & iudicia. Quis adeò mediocri ingenio præditus est, qui non videat actum fuisse incognita causa? & de industria dimissos esse multos priuatos, ab iis, qui eius Sanctitati ad facti verificationem relaturi erant? sciendo, & cognoscendo necessarium esse vt hęc omnia viderētur, priusquam ad tantam executionem veniretur. ferè apparet vobis tantum fuisse desiderium, vt ad fulminationem veniretur, vt veriti ne incideretis in aliquid quod eam auertere posset, effugeretis perspectum facere id omne, quod posset eius Sanctitatis animum ab eiusmodi deliberatione dimouere.

Si

Si huiusce narrationis proposita breuitas pateretur, manifestè demonstraretis quàm extra omne decorum, Monitorium ad hanc legem spectare dicatur, vt apparet: [Cúmque premissa in aliquibus Ecclesiarum iura, etiam ex contractibus initis ipsis Ecclesiis competentia auferant.] Simúlque notum fieret ea non tolli Ecclesiis vllum ius quęsitum, sed ea in vi sua manente, & obseruatione, Ecclesiis promptissimum & facillimum retinendi, [omnia iura quęsita, sibi competentia, modum restare. Hęc Respublica nulli, non Ecclesiis solùm, ius quęsitum, vnquam tollere solita est: sed qui aliorum leges iudicare vult, nec errare, necessarium est primùm, vt eas percipiat, earúmque integram cognitionem habeat, neque priusquam fundamenta viderit ad eas damnandas accedere debet. Hac in materia dixi plusquàm huic narrationi conueniebat, & tamen nõ est minima pars collata cum sequenti.

Et si occurrat vt demonstrẽtur huius legis fundamenta, quilibet quantum iustitię & ęquitati nitatur videbit, & quàm legitima sit Senatus eam constituendi potestas.

Nunc reuertentes vt dicamus id quod superest de aliis enarratis argumentis: Si Pontifex à deliberatione sua pręoccupatus noluit admittere tàm perspicuas rationes, vt sunt suprà narratę, & Reipublicę causas iustificatas habere, saltem videns vniuersam Europam habere his ab ipso reprehensis leges similes & tantum probatissimorum doctorum numerum opinionem ipsius sententię contrariã tueri, debebat causam in dubiũ reuocare, & cũ certo respectu procedere, cũ recordatione excõmunicationẽ esse grauissimã pœnã, & mate-

riam odiosam iis vt Canonistę dicunt,[strictissimè interpretādam,]Non intelligendum est, vllū victurum, quando Canonis verba ambigua sunt aut generalia,quę ad alium casum per similitudinem trahere non licet, neque minus argumento à minori.Ideò, etiamsi qui colaphum Sacerdoti infringit,à sancta matre abdicetur : nihilominus qui in eum bombardam emittet,etiam in Ecclesia vt eum interimat,& eum non attingit,programmate diro non configitur,licet hoc secundum delictum centies maius sit primo. Concedatur, vt qui decreta cōstituit aduersus libertatem Ecclesiasticā à sancta matre abdicādus sit,etiā declarandum esset, Veneta decreta aduersus libertatē Ecclesiasticam esse, sed si firmissimis rationibus eiusmodi non esse demonstratum est, quę etiamsi non valerent, tamen in reipsa patet, non in narratione, quòd illæ leges sunt per totam Europam. Deinde typis mandatum videtur eas à tantis doctoribus iustificari: igitur saltem non liquet esse aduersus authoritatem Pontificiam,quemadmodum existimantur esse.Ad quid additur, cùm certum adhuc non sit,quid sit hæc libertas Ecclesiastica, vt dictū est neque dum in eo inter se doctores consentiant,non posse minus clarum esse iuxta eos, hasce leges,& actiones esse aduersus eam. Et præterea in vna causa, vbi iuxta quosdam apparet ibi esse aliquam controuersiam,& propter tot capita dubiam manere,venit præceps excommunicatio, & interdictum, sine prospectione, & consideratione matura damnorum,quæ ait Cap.(*De sentent. excom.in 6.*)Alma Mater, ex eiusmodi Censuris sequi : scilicet quia populus religionem perdit, pullulant

lulant hæreſes, oriuntur infinita animarum pericula,& Eccleſiis ſine ipſarum culpa debita officia tolluntur. Chriſtiana pietas verè requirebat,vt primùm, omni ſedulitate cauſarum merita examinarentur,neque in Republica tam pia & religioſa quicquam minus quàm bonum ita facilè exiſtimaretur. Quilibet Prælatus primùm meritum cauſarum in ſe ipſo capeſſere, & deinde alium manſuetudine Chriſtiana capacem reddere tenetur.& vt docet diuus Paulus,[in ſpiritu lenitatis,] (*Galat. 6.*) quod quemadmodum obſeruatum, optimum effectum produxiſſet,ita omiſſum,mali, quod nunc videtur,& periculorum quæ ſuperſunt cauſa fuit.

Pontifex in Monitorio ſuo, XVII. Aprilis dicit ducem & Venetum ſtatum annis ſuperioribus multa decreta conſtituiſſe,& varia,propter quæ in cenſuras inciderunt, ſed inter alia,tria peculiariter nominata, propter quę ad fulminationem deſcendit, niſi intra XXIIII. dierum ſpatium reuocentur. Probus omnis Chriſtianus poſſet hîc deſiderare ſcire, num ſit, vt dicitur, in damnum animarum magnus decretorum variorum & diuerſorum à Republica ſancitorum numerus, & ſi propter eorum vnumquodque in cenſuras Eccleſiaſticas inciderit,ea exauthorare, & nulla reddere debent. Cur non monetur Senatus niſi de tribus? Non poteſt neque debet credi alia decreta ad animę damnationem velle relinqui, & tamen cur de omnibus nunc non agitur? Quando aliquis conuenit debitorem ſuũ,poteſt vnam debiti portionem poſtulare: quemadmodum cùm Dominus ſit, ei poteſt remittere & partem, & totum: ſed Procura-

tor & elector, non poteſt, niſi ſecundũ Superioris mandatum. Si multa decreta conſtituta ſuperioribus annis Deum lędunt, ea omnia reuocare Reſpublica tenetur, neque trium reuocatione officio ſuo ſatisfaceret. Diuus Iacobus ait *Iacob*.2. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.

Propter peccata quę animę damnum ſunt, imperat Seruator excommunicationis vſum cùm in *Matth*.17. ſi peccauerit in te frater tuus. Sed diuus Paulus, qualia iſta fuerint expreſſit, dicens 1.*Cor*.5. Si is qui frater nominatur eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Ideóque nunc dici poteſt id quod Dei filius ait *Matth*. 23. Væ vobis qui decimatis mentam, & anetum, & cuminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt, legis iudicium, & miſericordiam, hæc oportuit facere, & illa non omittere. Quo plenè reſpondetur ei quod dicetur in monitorio, leges, & iudicia Reipublicę eſſe in perniciem animarum. Sed cùm etiam additur Reipublicæ actiones eſſe in Scandalum plurimorum, monendum eſt eius quod velit non concludi contrarium. Profectò intenti eſſe debemus ſcandalorum extirpationi, maximè verò ſi malę ædificationis multis exemplum prebēt: nũquam viſus eſt vllus offenſus quòd delicta tranquillitatem publicam turbantia puniri, & luxum aut auaritiam frænari videret. Ambulantem per ciuitatem ſceleratum eiúſque ſocios à iuſtitia plexos videre, potiùs ſcandalum gignit: & ita videre ſeruari in Eccleſia aliquem, cuius, pluſquam cuiuſlibet alîus punitionem ſollicitare deberet. Multum

tum producendum non venit ad demonſtrandum quænam ſcandalum pariant, quandoquidem vnuſquiſque conſcius ſit, vnde ſcandalum det, & accipiat: illíq; etiam qui malę ædificationis res tuentia, id non faciant ſine rubore, & ſine ſenſu apud conſcientiam, ſe veritati opponi.

Profectò hoc Monitorium ad exemplum X. Pontificum, in eo nominatorum ſcriptum eſt; & ſemper commendabitur eorum Pontificum Sanctitas quòd id imitari requiſiuerit: ſed tamen minori laude digni non ſunt illi qui centum Sanctiſſimos ſuos præceſſores ſequuti ſunt, qui nunquam indicarunt ſe laboraſſe quomodo poſſent nullas reddere Principum leges ad publicam vtilitatem ſancitas, quin eas promulgarunt, etiámq; exſequuti ſunt: & quando aliquam difficultatem de eorum iuſtitia perſpexerunt, multa dexteritate & caritate Principibus qualis ſit diuiuæ voluntas repræſentare ſtuduerunt. Ita ſi Damaſus Valentiniani legē promulgauit & exſecutus eſt Sanctus Gregorius vnam Mauritij qua prohibitum erat militibus ne officio Monachi fungerentur. Valde alienum eſt à Doctrina antiquorum, & bonorum Theologorum, pronuntiaſſe etiā excōmunicationes aduerſus Senatum, qui perſona ſingularis non eſt, ſententiam. Diuus Auguſtinus *Lib. 3. contra Epiſt. Larmen. 23. q. 4. c. non poteſt*, pernicioſam exiſtimat, & ſacrilegam, impiam & ſuperbam (hæc ſunt eius ipſiſſima verba) excōmunicationem, aduerſus multitudinem, etiamſi in aperto, & manifeſto eſſet peccato, & bonis paſtoribus in eiuſmodi accidentibus conſilium dat, vt recurrant ad Deum, precibus & gemitibus, locus ab eo Sancto multum pro-

lixè tractatus, tantóque cum studio, vt si Barbaccię aut Zenzelini loco, legeretur, spiritum caritatis in omni Christiano produceret, quod aliorum lectio facere nequit. Sanctus Thomas *q.22.a.5.in add. & in* 4.*d.* 18.*q.2.a.3. quo l.* 10. 15. quæstionem proponit, an Vniuersitas à Sãcta matre abdicari queat: minimè respondet, rationésque affert: concludẽs Ecclesiam multa prospectione statuisse ne Communitas abdicari à Sancta matre queat: alij Theologi omnes vnanimes idem decreuerunt: & Papa Innoc. 4. *in cap. Romana, de sentent. excom. in* 6. ita ait, [In vniuersitatem vel Collegium proferri sententiam excommunicationis penitus prohibere.] Vbi glossema requitur num excõmunicationis sententia aduersus Communitatem pronuntiata valida esset, quatuórque celebres doctores citat, qui dicunt non valere, vnúmque pro contraria parte, & tandem concedere non debere pronuntiari, & si pronuntiata fuisset, tutissimum esse, dicere quòd valeret. In hoc proposito consentiunt omnes, eiusmodi excommunicationem non posse fulminari: multi fulminatam nullam & nullius pretij: alij pauci, fulminatam valere, aiunt. Religiosi & pij est celeberrimorum opinionem sequi, optimis nitentem rationibus, & eam quæ constitutione Pontificia stabilita est, & quæ plurimùm pietati fauet, & non damnata ab omnibus doctoribus, quandoquidem etiam pauci illi, qui veram autumant, sequendam non suadent. Non potest opponi id quod in omnibus Canonistarum libris legitur, [Papa non potest errare,] quam propositionem qui primus protulit, sano modo intellexit, ab eóque in materia fidei solùm limitibus inclusa

fuit

fuit,& decernendi,& determinandi, non opinãdi.
Idque debente semper Papa seruare debita media,inuocationis diuinæ,& consilij humani.Nunc adulatio,sublatis limitibus, absolutè veram iudicat,præterquàm quòd effecta in cõtrariũ sæpe vertuntur.Exemplo erit ipse diuus Petrus, qui postquã ipsi dixit Christus,(*Matt.*16.)[tibi dabo claues regni cœlorum,]Immediatè reprehendit ipsũ Seruatorem qui crucifigi volebat, ideóq; dicit ei Dominus[Vade post me Satanas,scãdalũ es mihi, quia nõ sapis qua Dei sunt, sed quę hominũ.]Negatio etiam ita vnicuiq; nota est vt eã narrare non occurrat. Et in Epistola ad Galatas dicit diuus Paulus (*Galat.*2.)Cùm venisset Cephas in Antiochiã in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.] Neq;vnicũ est diui Petri exemplũ.Nisi(*Genes.*9.) reprehensus fuisset Cam quòd Patris Noæ nuditatem derisisset:hìc possent referri 23.Pontifices alieni imperfectioni subditi, non consuetudinibus suis priuati,sed doctrina & administratione, & si quis legat Pontificum vitam ab anno 890. per 130.annos sequentes, sine aliorũ sparsorum inquisitione,cognoscet verissimum esse id quod diuus Paulus ait(*Hebr.*5.)[Omnis Pontifex ex hominibus assumptus,pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deũ,vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis,qui condolere possit iis qui ignorant, & errant,quoniam & ipse circumdatus est infirmitate,Ita vt non abs re S.Bonifacius Martyr dicat,[Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur,inutilis,& remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus,quod magis officit sibi,& omnibus,nihilominus innumerabiles populos ca-

teruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Huius culpas isthic redarguere præsumptum mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.

Non debet vllus tantùm mirari, quòd Pontifex suis sententiis & Censuris potuerit læsisse aut alicui iniuriam fecisse, neque tantum malum existimare, quòd etiam ei commissos errores emendare conueniat. Idcirco non solùm Sanctitatis Pontifices, sed ij etiam qui mediis humanis se magis rexerũt, fassi sunt se potuisse decipici & offerri retractationi. Innoc. 4. agens de controuersia inter se, & Federicum II. Imperatorem hæc ait, Quòd si Ecclesia eum in aliquo contrà debitum læserat quod nõ credebat, parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare, etsi diceret ipse quod in nullo contra iustitiam læserat Ecclesiam, vel quòd nos cùm contra iustitiam læsissemus, parati eramus vocare Reges, Prelatos, & Principes tam Ecclesiasticos quàm seculares ad aliquem tutum locum, vbi per se, vel per solennes nuntios conuenirent, erátque parata Ecclesia de consilio concilij sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac reuocare sententiam, si quam contra ipsum iniustè tulisset, &c.

Cum igitur fulminata fuisset excommunicationis aduersus ducem & Senatum sententia, totáque eius ditio interdicto destinata, quòd nolit permittere vt defraudetur Reipublicæ libertas, quod nõ consentiat vt destruantur fundamenta, quibus superstructa est, quòd se potestatę in administranda

Repu-

Republica, necessaria ad fouendum quietem, & suæ Ditionis tranquillitatem, sibi à Deo datã priuari non sinat, quòd vitam, honores, fortunas populorum suæ administrationi commendatorum tueatur: & denique quod prestiterit, & præstet id quod à Maiestate diuina sibi imperatum est. Et cũ his omnibus pronũtiata sit ipsa excommunicatio, sine causæ cognitione, sine citatione, aut obseruatione essentialium iudicij terminorum, & à Deo lege naturali ordinatorum, cum diuerso studio ab eo quod eius Maiestas sine debita maturitate imperat, & Sanctorum Patrum, Sacrorum Theologorum doctrina, & ipsis Pontificiis constitutionibus contrarium: cùm manifesta sit iniustitia, notáque nullitas considerandum superest quodnam foret principis officium, & quomodo se erga Deũ & sanctam eius Ecclesiam gerere deberet.

Aliquis prima fronte diceret, bonum fore sequi S. Gregorij consilium [Sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta timenda,] & Deo firma fide suam causam commendare, & æquo animo ferre censuras iniustas in magnum meritum apud diuinam Maiestatem resilire. Consilium, quod pro insonte qui causę suæ æquitatem demonstrare non posset, optimum foret: sed Principi, qui tam euidentem, & manifestam tuetur causam, non potest quicquam perniciosius esse, ipsique, statuíque suo, cultuíque diuino: cuius in primis rationem habere decet, magis tenetur Princeps, quàm priuatus Deum timere, studiosus esse Sanctæ fidei, Prelatos qui Christi locum occupant obseruantia colere: sed magis etiam tenetur hypocrisin, & superstitionẽ fugere ad dignitatem suam con-

seruandam, & retinendum in Sanctæ Religionis exercitiis statum suum, & videre ne idem quod Hebręis, suis populis contingat, qui propter longam Mosis absentiam, existimantes se vero Deo priuatos esse, sibi aureum exstruxerunt: quod si bene consideratum fuisset, homines ad eiusmodi mala, in quibus iam sunt, non peruenissent. Non ita vniuersaliter verum est illud dictum, sententia pastoris siue iusta, siue iniusta timenda 11. *q.* 1. *c. sententia.* quemadmodum interpretantur quidam Doctores, qui introduxerunt, & potestatem, quę nomine Ecclesiastica, re ipsa temporalis esset, in Ecclesia Dei conseruare vellent.

Hîc aliud est Papę Gelasij Canō 11. *q.* 1. *c. cui illata.* qui Gregorium præcessit, nec minus Doctrina & sanctitate celebris, vbi ait, [Si iniusta est senna tentia, tantò curare eam non debet, quantò apud Deum & eius Ecclesiam, neminem grauare debet iniqua sententia. Ita ergo & ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.] Cōtrarij non sunt duo isti Sancti Patres, vt verba demonstrant, sed Theologica Doctrina optimè apparentem hanc contradictionem conciliat. Quædam sunt iniustæ sententię, quia malo animo, & corrupta mente pronuntiatę sunt, licet iusta & legitima de causa: hîc non acquiescendum esse nemo in dubium reuocabit, neque eas secundum Deum ęqualiter, vt iustas astringeret, etiāsi pastor animo malo eius Maiestatem diuinam lędit, & de his intelligitur, sententia pastoris siue iusta, siue iniusta timenda est. Aliæ reipsa causam iniustam, alię apparenter iustam habent: siquidem in rebus humanis veritas sæpe ita occulta est, vt retegi

nequeat,

nequeat, vnde insons aliquādo condēnabitur, sine ipsius iudicis culpa. Hoc sētētię genus secundū Deū nō astringit, neq; ei corā ipsius Maiestate diuina acquiescendū est, & sincero animo etiāsi cōdēnatus, ne proximū offēdat, qui sententiā iustā existimat, se eā reformidare, & corā Deo viuere prout ipsius innocētia requirit, ostēdere teneatur: & coram hominibus, qui eum reū existimāt (si veritatē demōstrare nequit) viuere patiēter, suámq; causam Deo cōmēdare. Sed si sentētia iniusta sit sine legitima causa pronuntiata, neq; reipsa neque apparenter, non solùm non reformidanda est, sed pro viribus sese ei opponendum est.

Hæc doctrina vndecim Canonibus in decreto confirmatur. *Cap. qui iustus, c. cui illata cap. secundum Catholicam, c. capisti. cap. temerariè, cap. quid obesse, cap. quò, c. illud planè, c. non debet,* 11. *q.* 3. *cap. manet* 24. *q.* 1. *c. si quis,* 24. *q.* 3. & ita inter omnes Theologos cōmune est, vt nullus dissentiat, quemadmodum etiam consentiunt, neminem posse à Sancta matre abdicari, nisi propter mortale peccatum in quo etiam postquam ab Ecclesia monitus fuerit, perseuerare velit. Qui omnes supradictos Canones leget, tam plenè edocebitur, vt Censuras iniquas non deuincere, nec lædere, nec vllo loco habendas esse nullomodo dubitaturus, imò tantò magis, si legat Authores ex quibus hi canones deprompti sunt, in ipsis fontibus veritatem hanc cogniturus sit: ideóque præcedentia & sequentia verba euidentiorem rem facient.

Sententia re ipsa iniusta, apparenter autem iusta, & quæ ne scandalum prębeatur formidanda est, non potest oriri nisi ex errore in facto, ideóque

dato facto secundùm veritatem, iudex qui fallitur in dignoscendo iusto, etiam per ignorantiam, nihilominus in culpa est, vnde quamuis iniusta sit sententia propter manifestum errorem in iure, nulla est, nulliúsque pretij, neque secundum Deum, neque secundum homines deuincit. In hoc, quòd Pontifex Romanus hanc excōmunicationem fulminat, non cadit error vllus in facto, manifesta est veritas, Senatus leges scriptæ sunt, delinquentes accusati & in carcerem cōiecti, hîc non potest esse occulta innocentia quæ appareat: apud iudicem lis est; num in sancitis legibus, & in carcerem coniectionibus decretis, peccatum commissum sit, videndum est: quòd si Princeps & Senatus non peccarunt, sed in procuratione conseruationis vitæ, honorum, bonorum, suorum subditorum, quemadmodum in omnibus hisce capitibus fusius demonstratum est, Dei præceptis obtemperarunt: de iustitia Senatus & consequenter de Pontificiæ sententię nullitate debitandi locus non superest: & maximè quia rationes quibus id manifestum fit, eiusmodi non sunt quæ multas mentis argutias, vt accipiantur, quærant, sed leui consideratione omnibus manifestæ fiunt: ideóque cùm propter ipsius Senatus innocentiam coràm Deo, eiúsque etiam apud homines perspicuitatem, non superfit vllus qui offendi queat: pariter ille nullo modo reformidat excommunicationem, neque apud sese neque apud homines, nisi prout manifesta violentia in sinistrum finem facta reformidatur: cùm violentia manifesta sit vti potestate, à sancta parente abdicandi, à Christo data, contra eius institutiones: & aduersus eum qui potesta-

potestatem habet, eáque iniustè vtitur, solum remedium est Superioris presidio vti, quando fieri potest: sed si hic non datur Superior cuius præsidio vtendum, aliud remedium Deus non dedit Principi læso, nisi vt resistat: vim vi propria repellendo. Quandoquidem vniuscuiusque Reipublicæ, aut Regni politia à Deo est, & ad eius gloriam: ideò non potest sine peccato & Dei offensione permitti vt tollatur & vsurpetur propria libertas, quæ est vniuscuiusque Principatus politia. neque dubitari, quin cum Dei offensione iuncta sit negligentia in ea defendenda, & grauissima, si vsurpari sponte sineretur. Igitur vt Dei præcepto obediatur, conuenit sese cuiuis potestatem à Deo datam leges sanciendi tollere volenti opponere, & iustitia tueri subditos in vita, in honore, & fortunis læsos.

Et quemadmodum insons propter errorem in facto, iniustè à sancta parente abdicatus, ne scandalum præbeat, tenetur æquo animo ferre: ita quādo error est in iure, & retegitur manifesta iniustitia, tenetur Princeps, ne scandalum det, resistere, seséque iniurię opponere. Quæ cùm ita sint, dubium non est, quin perueniente cognitione ad alia regna, vbi obseruantur leges Venetis legibus similes, & quibus iudicantur conformiter delinquentes, Rempublicam præ Censurarum indebitarum, nullarúmque metu violentię cessisse, aut potestatem suam naturalem exequi, & exercere desiisse: maximum & grauissimum scandalum acciperent: paritérque subditi qui viderent, & considerarent tantam metus vanitatem, peruersam ædificationem acciperent: ideóque etiam

propter hoc caput æquum & necessarium fuit vt Princeps debitam oppugnationem susciperet, ita vt cùm iniusta sit & nulla Pontificis fulminatio, per consequens sequatur, in necessaria defensione Rempublicam iustè & legitimè promulgationem & executionem inhibuisse, fidelésque subditi Republicæ, & plusquam alius quiuis, Ecclesiastici animo pacato, conscientiisque esse debent, intenti cultui diuino, sub Principis protectione: & certo credere Spiritum Sanctum promitti & dari omnibus fidelibus, inter quos præsens est ipse Christus, quando in eius nomine cõgregatur: neminémque posse excludi à Sancta Ecclesia Catholica, nisi prius malis suis operibus à diuina gratia excludatur; & obedientiam quam Deus vult vt Superioribus Ecclesiasticis præstemus, non esse stolidam & insanam subiectionem, neque Prælatorum potestatem esse arbitrarium iudicium, sed vtramque lege regi: qui in Deutoronomio, Sacerdoti, non absolutam, sed præscriptá Lege diuina potestatem ordinauit. (Deut. 17.) [Facies quæcunq; dixerint qui præsunt loco, quem elegit Dominus: & docuerint te iuxta legem eius.] Solus Deus est regula quæ errare nequit, illi soli licet sine exceptione obedientiam præstare: qui profitetur obedientam integram erga alium, non exceptis Dei præceptis, peccat, & qui sibi proponit humanam voluntatem quæ errare nequeat, communicans creaturæ diuinas proprietates, magnam committit blasphemiam. Deo redditur absoluta obedientia: Prælatis intra cancellos Legis diuinæ circunscripta: & ita vtebantur veteres in antiqua Ecclesia. In Actis Apostolicis

ſtolicis exemplum à diuo Luca ſcriptum habemus, quòd fideles irent in contrariam diui Petri ſententiam, & cum eo de vocatione Gentium diſceptarent, neque tamen ab eo fulmine excommunicationis, & minis territi fuerunt, impoſito iis ſilentio: ſed cum ratione, authoritatem diuinarum reuelationum, & Seruatoris verborum edocti, & perſuaſi fuerint. [Caritas Chriſtiana, ait diuus Paulus, 1. Cor. 13. Patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non eſt ambitioſa,] Non minatur non euertit, omnes tanquam fratres tractat: non eſt Prælatorum dominari, neque cum imperio iubere, ſed exemplis, & correctionibus pietatis, & caritatis: audiamus diuum Petrum, (1. Pet. 5.) Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia: ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. & diuus Paulus. (2. Corint. 1.) Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Debétque adeò prompta eſſe Prælati caritas ad docendum, vt diſcendum ab aliis. Idcirco quando Petrus Antiochiæ peccauit (Gal. 2.) nō habens rationem loci diuus Paulus, eum grauiter coram omnibus reprehendit: neque vllus eſt qui dicat, Quis eſt vt diuus Paulus, qui tantam rem audeat: quaſi Paulus, propter præſtantiam ſuam auſus fuiſſet ſeſe cui non licebat, opponere: ſed contrarium dicendum eſt, & conſtanter, Quis eſt vt Paulus, qui ſui cum eius humilitate, & ſuiipſius cognitione, & obſeruantia ſummo Pontifici debita, comparationem inſtituere poſſit? Certò quidem credere debemus, diuum

Paulum, quemadmodum in omnibus virtutibus exsuperauit quantum nos facere possimus, ita in obseruantia Capiti Ecclesiæ debita, id seruasse, quod nostrûm minimus seruare tenetur. Scriptura diuina ait(*Rom.15.*) Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Hác historiã Spiritus S. non scripsisset, nisi ad nostrum exemplum esset, vt eam imitaremur. Videnturque omnes doctores docentes quomodo quisque debeat sese Papæ, quando errat, & non legitimè administrat, opponere, ad hoc exemplum recurrere: & docere vt faciamus, quemadmodum diuus Paulus erga diuum Petrum fecit.

Non igitur quisquam terreatur, obseruans solam Prælatorum authoritatem: reuocet in memoriam, Petro non vnam, sed duas claues datas fuisse (*Mat.16.*) & si ambæ non vsurpentur, non sequi effectum ligandi & soluendi. vnam quidem potestatis, alteram scientiæ & prudentiæ. Non dedit Christus potestatem, quæ sine cognitione, & circumspectione, sed multo quidē cum iudicio vsurparetur, quod si deest, sola potestas effecto caret. Canonistæ dicunt per ligandi & soluendi potestatem intelligi claues non errantes, ídq; disertè dicit, S. Leon Papa in quodam Canone, de hoc priuilegio diuo Petro dato, ab eo ad successores eius deriuato, agens: (*24.q.1.c.manet.*) [Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius æquitate fertur iudicium; nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, vel solutum, nisi quod Beatus Petrus soluerit, aut ligauerit.]

TRACTA-

169

TRACTATVS DE INTERDICTO SANCTITATIS PAPÆ PAVLI V.

In quo demonstratur, non esse legitimè publicatum, ac multis de causis non obligari Ecclesiasticos illud exsequi, nec illud ab ipsis sine peccato obseruari,

Compositus ab infrascriptis Theologis:

Petro Antonio Archidiacono, & Vicario Generali Venetiarum,
F. Paulo Ord. Seruorũ Theol. Ser. Reip. Venetę,
F. Bernardo Iordano Minore Obseruãte Theol.
F. Michaele Angelo Minore Obseruante Theol.
F. Marco Antonio Capello Minore Conuentual. Theolog.
F. Camillo Augustiniano Theol.
F. Fulgentio Ordinis Seruorum Theolog.



VENETIIS.
Apud Robertum Meietum.
M. D. CVI.
Cum licentia Superiorum.



ZELVS, quo quisque erga diuinum cultum, curámque propriæ salutis duci debet, his præsertim temporibus, consideratis controuersiis inter sanctitatem summi Pontificis, & serenissimam Remp. Venetam ortis, vt duæ quæstiones diligentissimè examinentur, & decidantur, requirit.

Prima: vtrum Ecclesiastici debeant aut possint, sine peccato, obseruare interdictum in hoc statu.

Secunda: num Princeps possit & debeat prohibere, tanquam defensione, talem obseruationem.

Sunt nonnulli, qui vt probent Ecclesiasticos huius Reipubl. teneri obedire huic interdicto, Principémque obligari ipsi assentiri, sufficienter se illud præstare autumant, si monstrauerint iustum Papæ præceptum cuiuis esse seruandum, eíque obediendum: quod vt probent multum se cruciant, & iudicio nostro nimium, cùm hoc nihil ad rem faciat. Quandoquidem ipsis vltro concedatur, non solum hoc, verum etiam iusto Episcopi mandato obediendum, & quod magis est, iusto Principis & Magistratus præcepto præstandam obedientiam, & vt ipsorum augeamus propositionem, dicemus obediendum etiam iusto præcepto Patris, Domini, & Mariti. Si suam velint reducere propositionem ad terminos conuenientes, debebunt potius dicere, præcepto humano iusto cuiusuis superioris obedien-

dum,ad euitandum peccatum; iustum enim præceptum ita debitam includit obedientiam, vt vnum sine altero absque contradictione consistere nequeat.

Omnis difficultas in eo cõsistit,vt probetur hoc præceptum esse iustum:quemadmodũ enim vnusquisque qui imperat, præter illam qualitatem vt sit superior,hanc quoque habet adiunctam, vt errori sit obnoxius tanquam homo, ita quoq; idẽ in summum cadit Pontificẽ, vt testatur diuus Paulus ad Hebræos,quòd & ipse circumdatus infirmitate, & debet pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi:Et adGalatas ipse ostendit exemplo S. Patri,cui in os restitit, eo quòd reprehensione dignus esset:& in eo etiam omnes Doctores Sanctæ Ecclesiæ Romanę conueniunt, Pontificem posse errare, nisi in determinatione de fide dum sedet in cathedra: & quamuis nonnulli moderni adiungant adhuc illud,quod spectat ad mores invniuersale,eodem tamen res redit,quoniam nihil cõcernit mores in vniuersale,quod non sit de fide.Sufficit omnes consentire,Pontificem posse errare in iudiciis particularibus:habemus quinetiam multa exẽpla errorum à Pontificibus commissorum: & in Sacris nõ solùm pręsupponiturPapam posse errare,sed etiã posse fieri hæreticũ, *dist.40.c.si Papa.*

Quamobrem nos aliam ingressuri viam, conabimur probare, Ecclesiasticos non teneri obseruare hoc interdictum, eo quòd non sciant sufficienter ciuitatem & dominium ipsi esse subiecta, & licèt scirent, nihilominus non teneri, ne inde aliquod nasceretur scandalum, & turba in statu Ecclesiastico:& licet Scandalum non oriretur,

tur, excusarentur tamen propter iustum timorem, qui nos liberat ob obseruatione omnium legum, & præceptorum summi Pontificis: imò etsi nihil haberent, quod metuerent, non deberent tamen illud præstare, nisi prius edocti fuerint sententiam esse iniustam & nullam, vt à plerisque æstimatur.]

Et quod Dux Venetus omni ratione possit & debeat se publicationi huic opponere, omníque conatu exsecutionem præcepti Pontificis impedire, in eos animaduertendo, qui illud exsequi conarētur, cùm ipsi certò constet interdictum de iure esse nullum; manifestè ex sequentibus probabitur propositionibus.

Propositio prima.

PRæceptum superioris (quantúmque fuerit Pontificis) non obligat ad exsecutionē & obedientiam, nisi fuerit publicatum & intimatum.

Probatio est euidens, siquidem non magis obligat pręceptum, iudicis quàm lex; ast cùm de essentia legis sit, vt sit publicata: & sine publicatione non obliget, vt s. *Thom.* 12. *quæst.* 40. *artic.* 4. abundè probat: non minus vtique de natura præcepti erit. Quilibet nouit quot leges & præcepta Pontificum violentur, nec locum habeant in quibusdam Regnis, eo quòd ibi non sint publicata: vnicum omnibus notum recensebo. Sacrum concilium Tridentinum non obseruatur, nec in multis Prouinciis & Regnis Christianis eam saltem ob causam obligat: & illud, quod maximi est momenti, Decretum de inualiditate

probabilitatem sufficere ad credendum, & operādum in proprium pręiudicium, vtpote exigere debitum matrimoniale, quæ non sufficit ad credendum in pręiudicium alterius, quod esset illud reddere: mandatum autem, quod à Papa de seruando interdicto promulgatum creditur, non vergit in pręiudicium Religiosorum; quia in tali deberent contenti esse illa cognitione, quam habent; sed in præiudicium populi potius est factum, vt Sotus *in dist.22.quæstio.3.ar.1.* inquit, & ipsa rei natura id docet, & propterea probabilitas, quam dicũt Religiosi se habere per suorum literas, ipsos ad exsequendum mouere non debet, sed potius cùm in tantam boni publici perniciem vergat, sibi persuasum habere debent se nunquam sufficientem habere notitiam, donec ipsis fuerit intimatum à Pręlato proprię Cathedralis, *arg. in clem. ex frequentibus, de sent. exc.*

Propositio tertia.

PApæ mandatum, ex quo apparet multa scandala, multásq; turbas in statu Ecclesiastico orituras, non tenentur Ecclesiastici exsequi, etiamsi ipsis mandauerit sub pœna excommunicat. latæ sententiæ.

Hoc asserit totidem quasi verbis Syluester *ver. obedientia.* §. si ex obediendia præsumitur status Ecclesiæ perturbandus vehementer, vel aliquod malum, aut scandalum futurum, etiamsi præcipiti sub pœna excommunicat. latæ sententiæ, non est ei obediendum: & in confirmatione allegat Abbatem, *c. si quando. & cap. cùm adeò de reser. & Antonium Corduben, l.3.q.13.reg.3.* eandem confir-

mat

mat sententiam his verbis: Ecclesia non intendit aliquem obligare ad aliquid cum scandalo inde probabiliter imminente, aut vnde probabiliter imminet graue malum spirituale, quia quod propter charitatem fit, non debet contra charitatem militare; & paulò post: si Ecclesia iubeat denunciare aliquem,& inde probabiliter timetur maius malum, quàm vtilitas, seu immineat scandalum, non tenetur: quia qui iusta causa non paret mandato,excusatur à non paritione.

Sed quid ipsos allegem Doctores: cum ipse Pontifex Alexander, qui inter alios imprimis fuit studiosus conseruandæ autoritatis [c. cùm teneamur de præb. dicat, si non potest ei sine scandalo prouideri æquanimiter sustinemus si mandatum nostrum non duxeris exequendum, & Glossa; mandatum Papæ debet adimpleri, si non subsit ratio non adimplendi:quæ Glossa in c.ad aures de temp.ord. inquit, pro vitando scandalo cessat rigor disciplinæ.]

Et hæc propositio probatur inde etiam, quòd obseruatio diuinæ legis sit præferēda omni mandato Papæ: & euitatio scandali, est præceptū legis naturalis, & expressum in Euangelio:fugiendum proin,& Papæ præceptum negligendum.

Hoc etiam probatur, quia adeò nos obligat mandatum de fugiendo scandalo, vt etiam propterea sit negligenda obseruatio Legis diuinæ positiuæ: multò ergò magis humanæ. Præceptum est Legis diuinæ positiuæ, integritas confessionis nihilominus tamen si confitendo aliquod peccatum metuendum esset, ne scandalum aliquod daretur confessori, & vt propterea in aliquem in-

propter hoc caput æquum & necessarium fuit vt Princeps debitam oppugnationem susciperet, ita vt cùm iniusta sit & nulla Pontificis fulminatio, per consequens sequatur, in necessaria defensione Reipublicam iustè & legitimè promulgationem & executionem inhibuisse, fideléſque ſubditi Reipublicæ, & pluſquam alius quiuis, Eccleſiaſtici animo pacato, conſcientiiſque eſſe debent, intenti cultui diuino, ſub Principis protectione: & certo credere Spiritum Sanctum promitti & dari omnibus fidelibus, inter quos præſens eſt ipſe Chriſtus, quando in eius nomine cõgregatur: neminémque poſſe excludi à Sancta Eccleſia Catholica, niſi prius malis ſuis operibus à diuina gratia excludatur; & obedientiam quam Deus vult vt Superioribus Eccleſiaſticis præſtemus, non eſſe ſtolidam & inſanam ſubiectionem, neque Prælatorum poteſtatem eſſe arbitrarium iudicium, ſed vtramque lege regi: qui in Deuteronomio, Sacerdoti, non abſolutam, ſed præſcriptâ Lege diuina poteſtatem ordinauit. (Deut. 17.) [Facies quæcunq; dixerint qui præſunt loco, quem elegit Dominus: & docuerint te iuxta legem eius.] Solus Deus eſt regula quæ errare nequit, illi ſoli licet ſine exceptione obedientiam præſtare: qui profitetur obedientiam integram erga alium, non exceptis Dei præceptis, peccat, & qui ſibi proponit humanam voluntatem quæ errare nequeat, communicans creaturæ diuinas proprietates, magnam committit blaſphemiam. Deo redditur abſoluta obedientia: Prælatis intra cancellos Legis diuinæ circunſcripta: & ita vtebantur veteres in antiqua Eccleſia. In Actis Apoſtolicis

ſtolicis exemplum à diuo Luca ſcriptum habemus, quòd fideles irent in contrariam diui Petri ſententiam, & cum eo de vocatione Gentium diſceptarent, neque tamen ab eo fulmine excommunicationis, & minis territi fuerunt, impoſito iis ſilentio:ſed cum ratione,authoritatem diuinarum reuelationum, & Seruatoris verborum edocti,& perſuaſi fuerint. [Caritas Chriſtiana,ait diuus Paulus,1.Cor.13. Patiens eſt,benigna eſt,non inflatur,non eſt ambitioſa,]Non minatur non euertit,omnes tanquam fratres tractat:non eſt Prælatorum dominari, neque cum imperio iubere, ſed exemplis, & correctionibus pietatis, & caritatis: audiamus diuum Petrum, (1. Pet. 5.) Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia: ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. & diuus Paulus. (2. Corint. 1.) Non quia dominamur fidei veſtræ,ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Debétque adeò prompta eſſe Prælati caritas ad docendum,vt diſcendum ab aliis.Idcirco quando Petrus Antiochiæ peccauit(Gal.2.) nō habens rationem loci diuus Paulus, eum grauiter coram omnibus reprehendit: neque vllus eſt qui dicat, Quis eſt vt diuus Paulus, qui tantam rem audeat: quaſi Paulus, propter præſtantiam ſuam auſus fuiſſet ſeſe cui non licebat, opponere: ſed contrarium dicendum eſt, & conſtanter, Quis eſt vt Paulus,qui ſui cum eius humilitate, & ſuiipſius cognitione, & obſeruantia ſummo Pontifici debita, comparationem inſtituere poſſit? Certò quidem credere debemus, diuum

Paulum, quemadmodum in omnibus virtutibus exsuperauit quantum nos facere possimus, ita in obseruantia Capiti Ecclesiæ debita, id seruasse, quod nostrûm minimus seruare tenetur. Scriptura diuina ait(*Rom.15.*) Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Hãc historiã Spiritus S. non scripsisset, nisi ad nostrum exemplum esset, vt eam imitaremur. Videnturque omnes doctores docentes quomodo quisque debeat sese Papæ, quando errat, & non legitimè administrat, opponere, ad hoc exemplum recurrere : & docere vt faciamus, quemadmodum diuus Paulus erga diuum Petrum fecit.

Non igitur quisquam terreatur, obseruans solam Prælatorum authoritatem: reuocet in memoriam, Petro non vnam, sed duas claues datas fuisse (*Mat.16.*) & si ambæ non vsurpentur, non sequi effectum ligandi & soluendi. vnam quidem potestatis, alteram scientiæ & prudentiæ. Non dedit Christus potestatem, quæ sine cognitione, & circumspectione, sed multo quidẽ cum iudicio vsurparetur, quod si deest, sola potestas effecto caret. Canonistæ dicunt per ligandi & soluendi potestatem intelligi claues non errantes, ídq; disertè dicit, S. Leon Papa in quodam Canone, de hoc priuilegio diuo Petro dato, ab eo ad successores eius deriuato, agens: (*24.q.1.c.manet.*)[Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius æquitate fertur iudicium; nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, vel solutum, nisi quod Beatus Petrus soluerit, aut ligauerit.]

TRACTA-

169

TRACTATVS DE INTERDICTO SANCTITATIS PAPÆ PAVLI V.

In quo demonstratur, non esse legitimè publicatum, ac multis de causis non obligari Ecclesiasticos illud exsequi, nec illud ab ipsis sine peccato obseruari,

Compositus ab infrascriptis Theologis:

Petro Antonio Archidiacono, & Vicario Generali Venetiarum,
F.Paulo Ord.Seruorũ Theol.Ser.Reip.Venetę,
F.Bernardo Iordano Minore Obseruãte Theol.
F.Michaele Angelo Minore Obseruante Theol.
F.Marco Antonio Capello Minore Conuentual. Theolog.
F.Camillo Augustiniano Theol.
F.Fulgentio Ordinis Seruorum Theolog.



VENETIIS.
Apud Robertum Meietum.
M. D. CVI.

Cum licentia Superiorum.



ZELVS, quo quiſque erga diuinum cultum, curámque propriȩ ſalutis duci debet, his prȩſertim temporibus, conſideratis controuerſiis inter ſanctitatem ſummi Pontificis, & ſereniſſimam Remp. Venetam ortis, vt duæ quæſtiones diligentiſſimè examinentur, & decidantur, requirit.

Prima: vtrum Eccleſiaſtici debeant aut poſſint, ſine peccato, obſeruare interdictum in hoc ſtatu.

Secunda: num Princeps poſſit & debeat prohibere, tanquam defenſione, talem obſeruationem.

Sunt nonnulli, qui vt probent Eccleſiaſticos huius Reipubl. teneri obedire huic interdicto, Principémque obligari ipſi aſſentiri, ſufficienter ſe illud præſtare autumant, ſi monſtrauerint iuſtum Papæ præceptum cuiuis eſſe ſeruandum, eíque obediendum: quod vt probent multum ſe cruciant, & iudicio noſtro nimium, cùm hoc nihil ad rem faciat. Quandoquidem ipſis vltro concedatur, non ſolum hoc, verum etiam iuſto Epiſcopi mandato obediendum, & quod magis eſt, iuſto Principis & Magiſtratus præcepto præſtandam obedientiam, & vt ipſorum augeamus propoſitionem, dicemus obediendum etiam iuſto præcepto Patris, Domini, & Mariti. Si ſuam velint reducere propoſitionem ad terminos conuenientes, debebunt potius dicere, præcepto humano iuſto cuiuſuis ſuperioris obedien-

dum, ad euitandum peccatum; iustum enim præceptum ita debitam includit obedientiam, vt vnum sine altero absque contradictione consistere nequeat.

Omnis difficultas in eo cōsistit, vt probetur hoc præceptum esse iustum: quemadmodū enim vnusquisque qui imperat, præter illam qualitatem vt sit superior, hanc quoque habet adiunctam, vt errori sit obnoxius tanquam homo, ita quoq; idē in summum cadit Pontificē, vt testatur diuus Paulus ad Hebræos, quòd & ipse circumdatus infirmitate, & debet pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: Et adGalatas ipse ostendit exemplo S. Patri, cui in os restitit, eo quòd reprehensione dignus esset: & in eo etiam omnes Doctores Sanctæ Ecclesiæ Romanę conueniunt, Pontificēm posse errare, nisi in determinatione de fide dum sedet in cathedra: & quamuis nonnulli moderni adiungant adhuc illud, quod spectat ad mores in vniuersale, eodem tamen res redit, quoniam nihil cōcernit mores in vniuersale, quod non sit de fide. Sufficit omnes consentire, Pontificem posse errare in iudiciis particularibus: habemus quinetiam multa exēpla errorum à Pontificibus commissorum: & in Sacris nō solùm pręsupponiturPapam posse errare, sed etiā posse fieri hæreticū, *dist.40.c.si Papa.*

Quamobrem nos aliam ingressuri viam, conabimur probare, Ecclesiasticos non teneri obseruare hoc interdictum, eo quòd non sciant sufficienter ciuitatem & dominium ipsi esse subiecta, & licèt scirent, nihilominus non teneri, ne inde aliquod nasceretur scandalum, & turba in statu Ecclesiastico: & licet Scandalum non oriretur,

tur, excusarentur tamen propter iustum timorem, qui nos liberat ob obseruatione omnium legum, & præceptorum summi Pontificis: imò etsi nihil haberent, quod metuerent, non deberent tamen illud præstare, nisi prius edocti fuerint sententiam esse iniustam & nullam, vt à plerisque æstimatur.]

Et quod Dux Venetus omni ratione possit & debeat se publicationi huic opponere, omníque conatu exsecutionem præcepti Pontificis impedire, in eos animaduertendo, qui illud exsequi conarētur, cùm ipsi certò constet interdictum de iure esse nullum; manifestè ex sequentibus probabitur propositionibus.

Propositio prima.

Præceptum superioris (quantúmque fuerit Pontificis) non obligat ad exsecutionē & obedientiam, nisi fuerit publicatum & intimatum.

Probatio est euidens, siquidem non magis obligat preceptum, iudicis quàm lex; ast cùm de essentia legis sit, vt sit publicata: & sine publicatione non obliget, vt s. *Thom. 12. quæst.* 40. *artic.* 4. abundè probat: non minus vtique de natura præcepti erit. Quilibet nouit quot leges & præcepta Pontificum violentur, nec locum habeant in quibusdam Regnis, eo quòd ibi non sint publicata: vnicum omnibus notum recensebo. Sacrum concilium Tridentinum non obseruatur, nec in multis Prouinciis & Regnis Christianis eam saltem ob causam obligat: & illud, quod maximi est momenti, Decretum de inualiditate

matrimonij clandestini, quod tamen ad sacramentum pertinet, secundùm omnium opinionem non obligat, vbi ipsum concilium non est publicatum: imò omnes statuunt in iis locis matrimonia clandestina esse valida.

PROPOSITIO SECVNDA.

NOn fuit publicatum interdictum in ciuitate & Dominio Veneto. Hoc consistit in facto; non enim fuit lectũ in Ecclesia, Prælato aut alij superiori Ordinario subiecta, neque etiam ita affixum, vt à populo fuerit visum, aut ab iis, qui illud seruare tenentur. Respondebit aliquis interdictum non fuisse intimatum aut publicatum, eo quod publicatio fuerit impedita; ac proinde neminem talem excusare ignorantiam, imprimis cùm sit affectata ab eo, qui id scire non cupit: quæ potius exaggerat peccatum, quã vero excuset. Ad hoc replicatur respondendo multa præcepta Apostolica, ipsúmque supra dictum concilium non fuisse publicata, eò quòd fuerit impedita publicatio; nihilominus fatentur omnes non obligare: quòd si regeratur aliter nobis constare de interdicto, aliter verò de Papæ voluntate, respondetur Decreta concilij aliter etiam cognosci posse: imò melius, siquidem in iis Regnis liber concilij circumferatur, & publicè diuendatur, & tamen non obligat, ob defectum publicationis solennis & Iuridicæ: ac proinde hoc etiam Iuridicam requiret publicationem. Quòd si quis dicat, in Admonitione Papæ contineri, publicationem Romæ factam sufficere ad obligandum, ei responde-

ſpondebitur Pium IV. quadam ſua Bulla anni 1564. declaraſſe decreta 5. concilij obligaſſe totum mundum ſine alia intimatione à prima die Maij eiuſdem anni: nihilominus tamen Doctorũ ſententia & ipſa praxis docent, in ſupradictis Regnis non obligare.

Adde etiam, quòd in Regno Neapolitano eſt receptum, vt nullum præceptum Apoſtolicum, etiamſi ſufficere dicatur publicatio Romæ facta, aliquem habeat vigorem ſine exſecutione Regis: imò tritum hoc eſt in illo regno, quod nos in iſto particulari noſtro propoſito dicimus.

At ſcrupuloſa conſcientia deuoti alicuius Religioſi dixerit, non cupio rem ita iuridicè cognoſcere, ſufficit mihi quocunque tandem modo eam cognoſcam; ſuperior meus iam ſcripſit, aut etiam à fide dignis ſcio ipſum ſcripſiſſe. Huic replicandum eandem rem poſſe ſufficienter ad vnum effectum ſciri, ad alterum tamen nequaquam, quemadmodum Nauarrus probat *in Man. cap.* 16. *numer.* 40. *& capit.* 27. *numer.* 288. *& fuſius in cap. ſi quis, de pœn. diſtinct.* 7. *& cap. Dominus, de ſecundis nuptiis.* Vnde Lucius Papa III. inquit, eam quę ad ſecundas nuptias perrexit, & de mariti vita dubitat, debitum ipſi præſtare debere, non verò illud exige: & [capit. Inquiſitionibus, de ſententiis, excommunic.] Innocentius, III. ait, [Si alteruter coniugum probabilem habeat, & diſcretam credulitatem alicuius impedimenti matrimonialis, illum teneri reddere debitum, non verò requirere.] Ex quibus determinationibus apparet, aliquã

probabilitatem sufficere ad credendum, & operãdum in proprium pręiudicium, vtpote exigere debitum matrimoniale, quæ non sufficit ad credendum in pręiudicium alterius, quod esset illud reddere: mandatum autem, quod à Papa de seruando interdicto promulgatum creditur, non vergit in pręiudicium Religiosorum; quia in tali deberent contenti esse illa cognitione, quam habent; sed in præiudicium populi potius est factum, vt Sotus *in dist.22.quæstio.3.ar.1.* inquit, & ipsa rei natura id docet, & propterea probabilitas, quam dicũt Religiosi se habere per suorum literas, ipsos ad exsequendum mouere non debet, sed potius cùm in tantam boni publici perniciem vergat, sibi persuasum habere debent se nunquam sufficientem habere notitiam, donec ipsis fuerit intimatum à Pręlato proprię Cathedralis, *arg. in clem. ex frequentibus, de sent. exc.*

PROPOSITIO TERTIA.

PApæ mandatum, ex quo apparet multa scandala, multásq; turbas in statu Ecclesiastico orituras, non tenentur Ecclesiastici exsequi, etiamsi ipsis mandauerit sub pœna excommunicat. latæ sententiæ.

Hoc asserit totidem quasi verbis Syluester *ver. obedientia.* §. si ex obediendia præsumitur status Ecclesiæ perturbandus vehementer, vel aliquod malum, aut scandalum futurum, etiamsi præcipiti sub pœna excommunicat. latæ sententiæ, non est ei obediendum: & in confirmatione allegat Abbatem, *c. si quando. & cap. cùm adeò de reser. & Antonium Corduben, l.3.q.13.reg.3.* eandem confirmat

mat sententiam his verbis: Ecclesia non intendit aliquem obligare ad aliquid cum scandalo inde probabiliter imminente, aut vnde probabiliter imminet graue malum spirituale, quia quod propter charitatem fit, non debet contra charitatem militare; & paulò post: si Ecclesia iubeat denunciare aliquem, & inde probabiliter timetur maius malum, quàm vtilitas, seu immineat scandalum, non tenetur: quia qui iusta causa non paret mandato, excusatur à non paritione.

Sed quid ipsos allegem Doctores: cum ipse Pontifex Alexander, qui inter alios imprimis fuit studiosus conseruandæ autoritatis [c. cùm teneamur de præb. dicat, si non potest ei sine scandalo prouideri æquanimiter sustinemus si mandatum nostrum non duxeris exequendum, & Glossa; mandatum Papæ debet adimpleri, si non subsit ratio non adimplendi: quæ Glossa in c. ad aures de temp. ord. inquit, pro vitando scandalo cessat rigor disciplinæ.]

Et hæc propositio probatur inde etiam, quòd obseruatio diuinæ legis sit præferẽda omni mandato Papæ: & euitatio scandali, est præceptũ legis naturalis, & expressum in Euangelio: fugiendum proin, & Papæ præceptum negligendum.

Hoc etiam probatur, quia adeò nos obligat mandatum de fugiendo scandalo, vt etiam propterea sit negligenda obseruatio Legis diuinæ positiuæ: multò ergò magis humanæ. Præceptum est Legis diuinæ positiuæ, integritas confessionis nihilominus tamen si confitendo aliquod peccatum metuendum esset, ne scandalum aliquod daretur confessori, & vt propterea in aliquem in-

cideret lapſum, iudicant Florianus de confeſſ.*q.*4. *& Nauar. in Manu. cap.*7. *num* 4. omittenda eſſe quædam peccata, confitenda reliqua. Quanto ergo magis ad euitandum adeò inſigne ſcandalum, negligendum erit Papæ præceptum.

Propositio quarta.

SI obediatur Pontifici, & Interdictum eius obſeruetur, in ciuitate & Dominio Veneto innumerabilia orientur ſcandala, pericula, & mala infinita.

Hæc propoſitio erit manifeſta conſideráti quid ſit ſcandalum, quod eſt ſecundum, S. Gerſonum & S. Thomã actio, à qua prouenit ruina ſpiritualis alicuius perſonæ ſimplicis & ſpiritu infirmę. Certum equidem eſt, primò verendum, ne plebs perſuaſa præter omne ius, & ipſius culpam ſe cenſurari, ſibíque excercitia ſacra interdici, illud animo iniquo latura ſit, ſéque Sacerdotibus & Ecclecleſiæ oppoſitura: & vt officia ſacra excerceantur erga ipſos vi aliqua ſit vſura: metuendum etiam eſſet, ne maior pars omnem deuotionem & zelum abiicerent, imprimis illam audiendo vocem à multis prolatam, qua cõqueruntur Papam, qui eos ad miſſam exhortari deberet, eam planè tollere conari: vnde etiam timẽdum, ne idem eueniret malum, quod aliâs in Vrbino contigit: quæ vrbs tam diu ob Interdictum Sacris excercitiis fuit deſtituta, vt poſt reſtitutionem celebrationis miſſæ & aliorum officiorum Sacrorum, difficillimum fuerit populum ad eam audiendam, eíque debitam præſtanſtandam reuerentiã aſſuefacere. Verùm quid opus eſt hæc probare? cùm cap. Alma mater affirmet, inde

de pullulare hæreses, & pietatis neglectum populi crescere. Si hoc non sit Spiritualis ruina & scandalum, non videmus quodnam aliud maius possit existere scandalum.

Perturbatio vniuersalis status Ecclesiastici est manifestissima: Si namque ista ciuitas Veneta, quæ semper fuit optimè affecta erga Ecclesiam Romanam, & in qua nullus vnquam alius viguit cultus diuinus, quàm is qui à Pontificibus Romanis fuit institutus, in qua nulla vnquam hæresis locum habuit; vnde nullus prodiit, qui doctrinam sparserit contrariam, ab Ecclesia separaretur, quæ confusio & deformitas esset nascitura, quiuis id facilè potest considerare.

Pericula quæ clarè imminere cernuntur nihil refert nominare: quilibet sanæ mentis præuidet motus contra Ecclesiasticos, & eorum bona, qui difficulter poterunt impediri: adde etiam licentiam, quam quisque vsurparet ad loquendum pro libitu de autoritate Ecclesiastica: præter alia inordinata, quæ non debemus præsumere, nisi magna cum sanctitatis Papæ iniuria, ipsam euenire cupere: imò potiùs credendum, ipsam Sanctitatem, postquam bonum zelum, quo Princeps, & Ecclesiastici huius status decreuerunt officia sacra continuare, cognouerit, ipsorum propositum approbaturum, & dicturum, ipsos licet contra eius egerint verba, non tamen contra eius egisse mentem, cui magis, quàm ipsis verbis attendendum cuiuis, tam in obediendo legibus, quàm præceptis: S. Thomas 2. *distinct. 15. quæst. 3. & distinct. 19. quæst. 2.*

PROPOSITIO QVINTA.

Timor iustus excusat etiam & liberat nos ab obseruatione & obedientia cuiusuis legis, & præcepti humani, licet alioquin fuerint legitima, iusta & obligatoria.

Ratio huius propositionis non in eo consistit, quòd ex diuerso fundamento proueniat obligatio Legis diuinę: sed præsupponitur tanquam minimè dubium, hominem esse subiectum legibus sui superioris spiritualis & temporalis, quia Deus iussit ipsis obedire, quoniam leges humanæ suas habent vires à lege diuina. Vnde S. August. definit peccatum, transgressionem legis æternę tantùm; à qua originem ducit & lex naturalis, & diuina positiua, & omnes reliquæ humanæ, quæ procedunt à legitima potestate.

Differentia in obligationem legis diuinæ naturalis, quam nullus excusat timor, & alias, est, quoniam illa continet bonitatem naturalem & immutabilem; & pręcipit res absolutè necessarias ad salutem, sed reliquæ iubent, ea, quę sua naturâ non sunt bona, sed fiunt talia postquam rationem habent mandati, & abrogata lege desinunt esse bona, & fiunt indifferentia: & similiter præcipiunt ea, quæ ante præceptum non sunt necessaria ad salutem, sed fiunt talia, eo quòd sint mādata, & lege abrogata, cessant esse necessaria: nec Deus vult nos æqualiter iis, quæ sua naturâ bona non sint, sicut iis, quæ absolutè bona sunt, obligari: quia *S. Thomas 22. quæst. 147. a. de in 4. distinct.* 93. ait, præcepta diuina absolutè obligare, Ecclesiastica verò non esse absolutè necessaria ad salutem.

lutem. Poteſt enim aliquid impedire, quominus ea obſeruemus.

Præterea metus iuſtus excuſat obſeruationem præceptorum legis diuinæ poſitiuæ, multò ergò magis liberabit nos humanis.

Integritas confeſſionis eſt de lege diuina poſitiua, vt omnes aſſerunt Theologi; nihilominus ſi quis in vrbecula clam fratrem Curatoris, qui ſolus eſſet ſacerdos, interfecerit, coactus ad confitendum, poterit alia commemorare peccata, illúdque, ne detegatur, tacere. *Nauarr. in Manu.* 17. *num.* 3. *S. Thomas* 4. *diſtinct.* 17. *quaſt.* 3. & ſecundum omnium opinionem, metum, ne grauida, ſi ei ſecentur aliquæ partes, ad extrahendam prolem viuam, à præcepto diuino poſitiuo ipſam baptizandi excuſare.

Etiam votum & iuramentum non minus obligant, quàm pręceptum ſuperioris, [cap. Debitores, de iureiuran. cap. magnę:] & ab horum obſeruatione excuſat iuſtus metus, vt docet Gloſſa [cap. ſi vero, de iureiur.] Multò ergò magis à pręcepto humano excuſabit. Syluest. [ver. metus, n. 7. Metus verò non excuſat à mortali. limita, verùm in his, quæ ſunt mortalia de ſe, vt dictum eſt, quia videlicet ſunt naturali, vel diuino iure ſub præcepto prohibita, ſecus ſi iure humano, quia tunc timor iuſtus excuſat à mortali. Et verb. excomm. 5. num. 14. non tenentur ſubditi obedire prælatis pręcipientibus ſubire mortem, vel aliquid facęre, ad quod iſta ſequuntur.]

Et multos notat Panormitanus caſus in caput Sacris, de his, quæ vi, in quibus metus iuſtus excuſat obſeruationem legum humanarum.

Propositio dicta habetur apud S. Thomam *quodl. 11. artic. 9. in Additio. quæstion. 22. articul. 3. Gabrielem Biel 4. distinct. 18. quæstion. 3. artic. 3. dub. 4. Maior in 4. dist. 14. quæstio. 4. Almin. tract. primo cap. 3. quæst. 4. Angelum excomm. 5. numer. 18. Summam confessorum, tit. 33. quæst. 165. Tabienam, excomm. 8 quæstion. 20. Sotum, libro primo, de iust. quæst. 6. art. 4. Nauar. prælu. 7. num. 12. Azor. l. 1. cap. 11.*

Obiiciunt nonnulli c. Sacris, de his, quæ vi, vbi dicitur in communicando cum excommunicato vim excusare à peccato, metum non excusare, & tamen non participare cum excommunicato, quantum ad modos particulares excommunicationis, est humanum præceptum. Ad hoc respondet Sotus, tunc non excusare metum, quando nascitur scandalum in quibusdam, idque non vi legis humanę, sed diuinæ, quæ scandalum prohibet, *l. de iust. quæst. 6. cap. 4. & Syluester verb. excomm. 5. num.* 14. ait illud capitulum & esse intelligendum de metu iniusto & leuiculo, & cùm communicatur cum excommunicato in peccato mortali, propter quod est excommunicatus, vel cum fit in preiudicium fidei.

PROPOSITIO SEXTA.

IVstum metum arguunt ipsa mors, tortura, amissio omnium bonorum, aut etiam maioris partis, incarceratio & ista non solum quatenus in propriam cadunt personam, sed etiam in personam amicorum.

Metus iustus is est, qui mouet hominem constantem; & virtus constantiæ requirit, vt quis minus committat malum ad euitandum maius; vt asserit

ferit *S.Thomas 2.2.q.125.art.4.d.19.* ac proinde nõ poteſt conſiderari in vniuerſale, nec eius ſatis ponderari magnitudo, eò quòd circunſtantię eius varient qualitatem; hinc fit, vt communis opinio dicat, Quis ſit Metus iuſtus determinatur arbitrio boni viri, & confirmatur *l.qui metus, ff.ex qui cau. maio. conſentit Gloſſ.ca.cùm dilectus, de his, quæ vi.*

His non obſtantibus quantum in vniuerſale poteſt dici, propoſitio probatur de vita & tortura *cap.cùm dilectus, de his, quæ vi.* De bonis Nauar. *in Manu.cap.22.nu.51.Panorm.&Gloſſ.cap.Abbas, de his qui.De carcere l. nec timorem, ff.quod metus cauſa:* & omnes conſentiunt doctores, videri poteſt S.Thomas *in 4.d.29.*ex Theologis: ex Summiſtis, vt Syluester *ver. metus*, & ex Iureconſultis *Gloſſ.cap.cùm dilectus, de his, quæ vi,* qui ſatis abundè iſta tractant.

Et S.Thomas, & Syluester locis citatis demonſtrant iuſtum eſſe timorem, non tantùm ſi dicta mala propriæ immineant perſonæ, ſed etiã perſonæ coniunctorum, Patris videlicet, matris, fratris, filiorum, coniugis, & aliorum propinquorum.

Propositio Septima.

ECcleſiaſticis huius Dominij iuſtus imminet metus amiſſionis vitæ, & bonorum ſuorum, & etiam multorum malorum tam priuatorum, quàm publicorum, quę ipſorum propinquis inde euenient, ſi interdictum ſeruauerint.

Cùm enim quis cõſiderat, quàm deuotus ſit populus, quámq; exercitiis operũ Chriſtianorum, & maximè miſſæ ſint dediti, non aliter concludere poterit, quàm ipſũ iis non caritturũ, & ſi iſte Zelus

erga cultum diuinum non possit habere successum per media ordinaria, de aliis sibi prospiciet mediis adeo, vt vi potius religionis exercitia, quę licita esse iudicat sit recuperaturus; sciēs & certò persuasum habēs ipsam Sāctitatem causam idoneā ea adimēdi nō habuisse. Ac propterea etiā monent ipsi subditi nullā ipsis ex parte principis posse imputari culpā; quandoquidē nemo est, qui nesciat, non aliam esse controuersiam, inter summum Pontificē & Remp. Venetam, nisi quòd dicta Resp. bonis legibus, & optimo iure velit vitam, honorem & bona suorum subditorū conseruare, omnésque tumultus, & pericula quę Ecclesiasticis imminent de amittenda vita euitare, qualia solēt facillimè in casibus similibus euenire, & si ipsam non inferrent mortem, magnam tamen vim ipsis non sine magno Scandalo facerent. Nec iuuat dicere, vt ex Dominio discedant, quemadmodum pauci nonnulli fecerunt: primò quoniam ipsi, qui discesserunt, nisi à ministris publicis fuissent conseruati, in grauissima incurrissent pericula; & multi conspicerentur perturbati, & malè in ipsos affecti, propter ipsorū discessum: deinde si vnus post alterum paulatim vellent abire, inter tantā frequentiā eorum, qui Interdictum seruare nolunt, præceptum vires suas non haberet: quod si omnes simul discedere vellent, non foret res vlla magis idonea hac, ad concitandos motus populares contra ipsos, quando omnes simul conspicerent, populóque hac ratione iniuria ipsis illata demonstraretur. Et licet hęc successum non haberent, quod tamen certo certius eueniret, non tamen restituerentur bona, quibus se sustentant, quod amissioni bonorum

norum est admodum affine,& iustum metum afferre demonstratum est.

Nec responderi potest hoc locum saltē habere apudClericos seculares,qui bona habent propria, nec ad Regulares pertinere, eo quod bona possideant in commune;siquidem tāto maior cura bonorum esse debeat,quanto magis bona sunt communia. Sanctus Benedictus in regula præcipit, & ante ipsum S. Augustinus: [Caritas enim de qua scriptum est, quòd non quęrit, quam sua sunt,sic intelligitur,quia communia propriis,non propria communibus anteponit, & ideò quantò magis rem communem, quàm propria vestra curaueritis,tantò vos amplius proficere noueritis.

Adhęc cùm sit in pręcedenti propositione abundè demonstratum iustum esse metum, nō solùm si proprię personę immineát pericula & mala;verùm etiam propinquis, quilibet secum considerare poterit quantę inuidiæ, quantísque periculis exponantur Ecclesiasticorum parentes: ast id quod maioris est momenti,quódq; nō est legis scriptę,sed à natura animis insitum, nimirū amorem in patriam publicum esse pręferendum amori cuiusuis,in priuatū quemlibet,etiam coniunctissimum, & manifestissimum est periculū, si intermittatur exercitiū religionis, verendum ne omnis desinat deuotio,& peruersę introducātur opiniones,nec non disponantur simpliciorum animi ad nouam aliquam recipiendam religionem.

Hic metus quemuis bonum Religiosum mouere debet,primò quia[cap. Alma mater]ante300. annos promulgatum (cum non tā frequētes erant hęreses)ait quod ex interdictis indiscretis excres-

deuotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animabus insurgunt. Præterea etiam omnes Doctores fatentur multa mala ista interdicta procreare, quamuis etiam fuerint iusta. Sotus imprimis 4.*d.* 22. *q.*3.*art.*1. Perpendens interdictũ fuisse adinuentum ad conseruandam authoritatem Ecclesiasticam, fatetur contrarium inde sequi, quoniam eo ipso extenuatur: adhæc populo magnam fieri iniuriam, olim etiam non vltra triduum durasse interdicta; & concludit non debere promulgari nisi ob prægnantes causas, nec diutius debere locum habere, nisi quoad zelus ille populi erga religionem frigere inciperet. Verùm id quod est maioris momenti, præsens tempus, quo nomẽ Catholicorum ad paucas prouincias est redactum, & istud Dominium vt & vrbs Veneta omnis generis hominibus repleta, requirũt vt Ecclesiastici huius status considerent grauissima pericula, quæ neglectus cultus diuini & sanctæ fidei secum afferant: & habentes tamen metum iustum concludunt non seruandum præceptum humanũ etiamsi iustum esset.

PROPOSITIO OCTAVA.

Potestas summi Pontificis imperando Christianis est limitata, nec se ad omnes extendit materias & casus; verùm restricta est ad limites vtilitatis Ecclesiæ, & pro regula habet legẽ diuinã.

Qui summo Pontifici tribuunt libertatem & potestatem absolutã in rem quamlibet, huic vnico nituntur fundamento, quòd sit Vicarius Christi, qui Deus est, & tamen omnem eius habet Potestatẽ, quæ se ad omnia extendit, ac per cõsequens ad omnia quoque Pontificis potestas se extendet.

Hypo-

Hypothesis, quòd sit Christi Vicarius non est in dubium vocanda: ast esse cum potestate limitata demonstrabitur: primò quia Christus non communicauit ipsi potestatem suam tanquam Deus, sed tanquam homo: illa se extendit vniuersaliter ad omnia; hæc ad regnum cæleste: quo nomine dixit Dominus, Regnum meum non est de hoc mũdo, Io.18. & negauit se esse datum iudicem ad diuidendam hæreditatem inter duos fratres, Luc.12. seque excusauit, cùm ipsum vellent creare regem Ioan.6. Et explicãs integram suam autoritatem in Ioan.17. dixit ad patrem de seipso, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Ecce quam excercuerit Christus Redemptor noster potestatem; quam tamen omnem Pontifici non communicauit, quia illa se extendit (vt communis est omnium Theologorum opinio) in remissione peccatorum sine sacramentis, vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Matth. 9. Nihilominus etiam istam, iuxta omnium sententiam, cum Pontifice non communicauit. Poterat etiam Christus absque medio sacramenti ordinis sacerdotes instituere, quod tamen Papæ non concessit. Christus habebat etiam potestatem instituendi sacramenta, quam Pontifici non dedit, neque instituendi illa, neque quicquam, quoad illorum aut aliorum essentialium formã, agendi vel mutandi. Nullus est Theologus qui omnem Christi authoritatem tribuat Papæ; imò multi sunt, qui expresè dicũt ipsum esse inferiorẽ, *Gaet.22.quæst.*88.*art.*12. si Dei Vicarius plenè potestate Dei fungeretur in terris, sine dubio pos-

ſet omnia vota vice Dei relexare, ſed quoniam non plenè fungitur poteſtate Dei, ſed limitatè, ſcilicet ad paſcendas oues & ad clauibus Regni Cœlorum vtendum in ędificationem, ideò non poteſt ad libitum vota relaxare, ſed quantum ædificationi inſeruiunt commutare vel diſpenſare, relaxare ſiquidem ad libitum vota pertinet ad claues excellentię ipſius Chriſti, qui claudit, & nemo aperit. Videatur Iacobus Almainus de poteſtate Eccleſiaſtica, & Nauar. *ſupra cap. nouit. de iud. not.3.num.130.* Nec Chriſtus partem illam poteſtatis ſuę ipſi conceſſit, quòd nimirum caput ſit. Nec in alium finem Chriſtus ipſi partem ſuę poteſtatis conceſſit, quàm in ędificationis, quod nimirum vtile erat caput dari in Eccleſia viſibile, vnde S. Paulus 2. ad Cor. 3. dicit, [Non enim poſſumus aliquid contra véritatem, ſed pro veritate: & ad Rom. 14. Quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt inuicem cuſtodiamus: & 2. Cor. 10. & 13. de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationē non in deſtructionem.] Vocat S. Paulus ædificationem quicquid facit ad incremetum honoris diuini; & deſtructionem omne id quod ad diminutionem illius: Epheſ. 2. in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templū ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu S. quemadmodum templum materiale fabricatur ad honorandum in eo Deum corporaliter: ſic etiam doctrina, exemplo, & correctione inſtruitur anima, vt Deus in illa ſit honoratus. Quare S. Paulus 1. ad Corint. 4. inquit [Sic nos exiſtimet homo vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.
Docto-

Doctores etiam Ecclesiasticā potestatem restringunt ad Legem Euāgelicam, quemadmodū ex definitione ab ipsis data patet, vtpote Gersonis & Parisinorum, quę sic se habet, [Est potestas à Christo Apostolis, & Discipulis, & successoribus eorū legitimis, supernaturaliter tradita ad ędificationē Ecclesię militantis secundùm leges Euangelicas pro consecutione fœlicitatis ęternę. Vel Nauarrę, Est potestas à Christo instituta immediatè & supernaturaliter ad gubernandos fideles secundùm Legem Euangelicam in supernaturalibus & quatenus ad illa opus sit, etiam in naturalibus.]

Vnde concluditur Pontificiæ potestatis vsum tum demum legitimum vsum esse, quando vsurpatur in eum finem & secundùm regulam à Christo ordinatam: Abusus verò quando in contrarium vsurpatur.

Propositio Nona.

AN potestas summi Pontificis sit subiecta sacris canonibus, & Decretis generaliū Cōciliorum; an verò libera & absoluta, & illis superior, nondum esse decisum, sed tanquam dubium relinquitur in Ecclesia Dei.

Penderet decisio ex determinatione in quo sit suprema potestas Ecclesiastica, in summo Pontifice, an verò in Ecclesia, & Concilio quod illā repręsentat. In ista quęstione adsunt vtrique parti celebres Doctores & autoritate & sanctitate: Quin à Constantiensi quemadmodum & Basiliensi Concilio, determinata fuit superioritas Concilij. In Concilio Lateranensi declarata

fuit superioritas à Papa Leone X. in summo Pontifice Christianę prouincię, quędam hanc, quædam illam sequuntur opinionem. Cardinalis Bellarminus dicit ad litteram l. 2. de auct. concil. cap. 13. & quamuis postea in Concilio Florentino, & Lateranensi vltimo videatur quæstio definita, tum quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definiuit, & de Concilio Lateranensi, quod expressissimè hoc definiuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè generale, ideò vsque ad hanc diem quæstio restat indecisa inter Catholicos.

Et Nauar. super c. nouit. not. 3. num. 84. reddendo causam, cur in diffinitione Ecclesiasticæ potestatis non dixerit traditam, sed institutam, dicit, Ne me oporteret diffinire cui illa fuerit principaliter à Christo collata, an Ecclesię toti, an verò ipsi Petro, quod non est Consilium facere in pręsenti, propter illam maximam discordiam Romanorũ, & Pariensium: illi enim tenent Petro, & successionibus datam esse hanc potestatem, atque ideo Papã Concilio esse superiorem, ij verò quibus Gerson adhęret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per vnum, atq; ideò in aliquot saltẽ casibus Concilium esse supra Papam. Et finito numero eorum qui vnam, & alteram opinionem tenent, profert tanquam Ioan. Maioris verba, Romę memini permitti tenere Pariensium, & Panormitani sententiam, nec rursus academiam illam Pariensem pati, vt contraria opinio asseratur in ea.

Eandem sententiam tenet Ioan. Marliana Iesuita in libro suo de Rege libr. 1. cap. 8. qui liber publi-

publico societatis Iesu examine est approbatus, & post examen, authoritate Regia Hispanica in lucem editus.

Propositio Decima.

OBedientia quam Christianus debet præcepto summi Pontificis, non omnibus est absoluta, illis tamen exceptis, quæ contraria sunt Legi diuinæ, in quibus ipsi obedire, peccatum est.

Hæc propositio tanquam notissima probatione non indiget; ne tamen illa omnino vacua sit, adfero id quod Petrus in Actis cap. 5. dixit, obedire oportet Deo magis, quàm hominibus: & reprehensionem Christi factā Pharisæis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? interpretans scilicet de superiorum præceptis contra mandata Dei prophetizasse Isaiam, frustra colunt me docentes doctrinas Dæmoniorum, & mandata hominum. Tractat de hac materia D. Thomas 1.2. quæstio 96. art. 5. Et Canonistę supra capitul. si Dominus. Non semper. Iulianus. Et qui resistit 11.

Propositio Vndecima.

OBedientia debita summo Pontifici sese non extendit ad omnia illa quę non sunt contraria Legi Dei; sed in multis etiam bonis homo liber est, ita vt non teneatur ipsi obedire.

Deutoronomio 17. Obedientia summo Sacerdoti debita ad ea solum est restricta quę Lege diuina continentur. Facies quęcunque dixerint, qui

præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: Quod quidem in eum saltem finem hîc profero, vt demōstrem iis, qui allegant illud ad confirmandam obedientiam summo Pontifici debitam, nihil aliud probare, quàm relatiuam quandam obedientiam ad Legem.

D. Thomas 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. affirmat Christianū interiorib. animæ motibus non esse obligatum ad cuicunque potestati obediendum, neque in iis quæ ad naturam corporis pertinent: secundùm ea quę ad naturam corporis pertinent homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo, quia omnes homines natura sunt pares: puta in iis quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem.

Cajet 2.2. *art.*83. 12. [Papæ Christiani quoad bona temporalia, & quoad operationes personales nō subijciuntur absolutè sicut religiosi prędatis suis: & paulò inferius: nam patet innumeras esse obligationes, quę non subsunt Papę ad nutum, vt patet in contractibus inter hominem, & hominem, & multò minus inter hominem, & Deum: & infrà, clarè patet quod Christiani non sunt Papæ subditi absolutè & quoad omnia, sed limitatè quoad Spiritualia in ædificationem corporis Christi, & ea quę ordinantur ad hoc.] *Nauar. in Man. cap.* 23. *nu.* 38. affirmat Papam peccata sua semel & rectè confitenti non posse mandare, vt ea rursus confiteatur, licet illa confessio bonum esset opus. *Panorm. cap. cùm olim de Clericor. coniug. asserit.*

Syluestr. verb. obedientię primo dicit. Obedientia limitatur secundùm gradum superioritatis superioribus Spiritualib. puta Papæ obediendū est

in spiritualibus pertinentibus ad salutem, quæ spopondimus in Baptismo: quod primò dixit D. Thomas in 2. dist. 44. quæst. 2. Et optima quidem ratione: in illos enim qui nondum in Ecclesiam transierunt, vel quia sunt infideles, vel nondum sunt Baptizati, summo Pontifici nulla est authoritas: quid mihi de his (inquit Paulus) qui foris sunt iudicare? Et si locus aliquis in Patribus inueniretur qui affirmaret nos esse obligatos in omnibus obedire, conuenit vniuersali illi distinctionem dare accommodatam & iuxta terminorum potestates limitatam: quemadmodũ in illo d. Pauli 3. ad Coloss. Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est Domino, & serui obedite per omnia dominis carnalibus, nullum est dubium quin de obedientia illa paternæ & dominicali potestati adstricta sit intelligendum, & Gloss. cap. Ad aures de temp. ord. dicit, Prælato, si non pertinet ad officium suum quod præcipit, non est obediendum. Si verò pertinet ad officium, obediendum est, si nõ decipitur in pręcepto D. Bernardus in libro suo de Præcepto, & dispens. longissimo discursu restringit omnem obedientiam ad regulam secundum quæ est promissa: locus visu & consideratione omnium dignissimus.

Propositio Duodecima.

Christianus non debet præstare obedientiam Mandato (etiamsi esset summi Pontificis) nisi prius examinauerit illud quoad materiam, an sit conueniens, legitimum & obligatorium & qui nullo habito mandati examine, ita inconsiderate

obedit, peccat.

Probatur id efficaciter propositione superius demonstrata; qui contrà præceptum Dei obedit Papæ, peccat: licet ergo ipsi obedire, si prius mandatum Papę non sit examinatum & cum diuinis præceptis collatum, & an illis repugnet, consideratur.

Sic etiam nullus debet obedire præcepto Papę, quando scandalũ inde nasci potest, quemadmodũ superius probatum est; aut quando ad destructionem Ecclesiæ tendit; conuenit ergo vt vnusquisque consideret quid ex illius obedientiæ præstatione nasci possit, nec ad illius executionẽ accedet, nisi probabili ratione cognouerit nullum inde scandalum, nec malum, nec turbationem Ecclesiæ, nec diminutionem cultus diuini oriri posse. Quin potius summa afficere iniuria reuerentiam summo Pontifici debitam, qui existimaret ipsum aliquid imperantem non semper hunc habere scopum vt excusatum haberet Christianum, imo etiã laudaret quem vel minus promptum nosceret ad executionem mãdati quod malum parturire posse animaduertat. Et ad confirmationem huius rei adfertur Decretale Alexandri III. quod c. si quando, de rescript. scripsit Archiepiscopo Rauennæ, vt videlicet imperanti sibi aliquid obediret, vel causam cur facere nollet, iustam allegaret. Pontifici quidem semper est propositum excusatum illum habere, qui iusta de causa ipsi non obedierit, & subditus, priusquam ad executionem veniat, examinare debet an causa sit legitima quæ ad præstãdam illã obedientiã impedire possit, aliàs nunquã poterit exequi mandatũ à Decretali præscriptum.

Nec

Nec modus iste ita procedendi caret exemplo in Sacris proposito: in Actis Apostolorum 17. refert Lucas quàm auidè quidam Paulum in Beroe prędicantem auscultauerit, scrutando quotidie Sacras scripturas an ita esset, quemadmodum Paulus dicebat, ob quod etiam factum ita fuerunt laudati, vt Thessalonicensium omnium nobilissimi & præstantissimi dicerentur: de quibus Paulus, In omni inquit loco fides vestra quę est ad Deum, profecta est. Quod si laude dignum fuit scrutari scripturas, easque examinare an ita sese haberent quemadmodum Paulus prędicabatur, non minori dignũ fuerit scrutari Scripturas & alias Catholicas doctrinas, easq; etiã ponderare an id quod Papa mãdat pręstare permittãt, & nisi ex debito pręcepta & exempla summi Põtificis derigerentur à diuinis, Paulus 2. ad Galatas non reprehendisset Petrum tanquam iusto pede minus incedentem quemadmodum veritati Euangelij congruebat. Imò Petrus ipse in Actis Apostolis 11. conuersis & murmurantibus Iudæis ob acceptum Corn. Centur. facti rationem reddidit ex diuina reuelatione, intelligens non ad alios solùm, sed ad se etiam pertinere dictum illud, Parati estote reddere rationem cuique poscenti vos de ea, quæ in vobis est fide.

Hoc certum est, Papam, quamuis adsit diligentia & bona intentio, posse errare in particularibus iudiciis: & multi etiam De facto in hoc errarunt, & historiæ plenæ sunt. Quid ergo impedit quominus fidelis secum perpendat atque consideret an error sit in præcepto.

Nemo autem sic existimet sensum nostrũ esse

diffinire, longúmne an breue requiratur examen: sed quemadmodũ in propositione dictũ est:(quãtum patitur materia. Potest enim fieri vt res mandata alia clara sit atque perspícua, vt vno momento homo cognoscere possit quid sui officij sit: alia requirat studium, alia etiam facessat negotium: sed Christiana prudentia est, quę ad hoc regulas dictat, neque ob aliud dandi termini, quàm vt Christianus secum consideret & quid sit debiti sui cognoscat: quod si ita immeditatè teneretur obedire, frustrà & in vanum termini darentur.

Secunda pars propositionis manifestè sequitur ex prima: quicunque enim præceptum sine vlla consideratione exequitur, periculum incurrit eorum quæ contraria sunt Legi diuinæ, ex quibus scandalum etiam oriri potest.

Ecclesiastic. 3. Qui amat periculum, peribit in in illo: & Gaetanus in summa, & Nauarra in Man. cap. 14. num. 27. & Gerson in Regulis Moralibus, ponunt tanquam regulam generalem: nec quisquam se de illo excusare potest prætendendo ignorantiam illius Regulæ: cum pręceptum sit de iure naturę, & quiuis debeat illud tenere, vt Nauarra supra cap. si quis de pœn. dist. 7. nu. 83. optimè probat.

Propositio hęc est doctrina Cardinalis Toleti, qui libro suo Instructio. Sacerdotum, lib. 5. cap. 4. de residentia Episcopali loquens, ita inquit, Dum enim Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit ad tempus absentiam. Sed attende quod non sufficit obedientia tantùm, sed debita, quia cùm absque causa rationabili aliquid præcipitur non debemus obedire, &c.

Nec

Nec responsio illa valet, quòd quicunq; aliquid inscius in gratiam Papæ facit contra præceptum Dei, sit excusatus, cùm neque ignorantia excuset, nisi sit inuincibilis, quemadmodũ D. Thomas, & omnes Theologi & Canonistæ affirmãt: Sed nõ potest esse ineuitabilis ignorãtia, nisi omne id quod sciuerit, & potuerit, fecerit ad cognoscendam veritatem: neque quicquam est facilius quàm cogitationes accommodare & dirigere secundum capacitatem suam: quiuis tunc tenetur id facere, & nisi fecerit, periculum incurrit peccati.

Nec vllus dicat, præsupponendum esse, nullum præceptũ Papæ contrarium esse legi Diuinæ, quia quemadmodum hoc verum est, deberi ita præsupponi, vt in effectu, non sine ratione ita se re habere affirmetur, non est pręsupponendum in effectu illud temerè sequendum.

Quemuis tanquam bonum & integrum hominem æstimare debeo, nec temerè de quoquam malè sentire: non tamen ex affectu mea inconsideratè committere, aliàs dictum illud Pauli, Qui ignorat, ignorabitur, maximè si fuerit consideratum, summum Pontificem esse hominem cui non conueniat peccatum, sed secundum Paulum, omnis Pontifex ex hominibus constituitur in his, quę sunt ad Deum, vt efferat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant, errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: quod reprehensio à Christo facta D. Petro testatur, Vade retro post me Satanas, quia scandalum es mihi, & non sapis quæ Dei sunt: si diceretur ipsum nondum recepisse Spiritum san-

ctum optimè nouimus Pontifices pro tempore habere spiritum Sanctum tantùm ne errent in rebus ad fidem & mores vniuersales, quando determinãt ex Cathedra: & accepto Sp.S. iã dicit D. Paulus de D. Petro: quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij. Sæpe etiam videmus successores reuocare leges & præcepta suorum prædecessorum, & etiam propria sua, quando videtur melius informari: in decretalibus sæpe etiam Pontifices dicunt se paratos esse ad reuocandas suas sententias, si monstratum fuerit, ipsos contra iustitiam peccasse; quod quidem vanum essent, si errare non possent: videatur cap. ad Apostolicæ, de sent. & re. iud. in 6.

Nemo autem credat propositionem hanc contrariam esse doctrinæ magis communi, nisi subditus, quando in dubio est, num teneatur obedire Prælato, reputet se teneri & obligari: siquidem id non de dubio inopinato sit intelligendum, sed de eo, quòd post exquisitam diligẽtiam & sufficiens examẽ, adhuc dubium remanet propter ipsius rei incertitudinem, non verò ob diligentię defectum; & de isto loquuntur dubio, qui dicunt pręstandam obedientiam in casibus dubiis: sed non de eo dubio, quod propter diligentis examinis neglectum dubium remansit.

Adiungendo tamen quod quamuis Christianus in eiusmodi dubio casu teneatur obedire, non tamen sequitur superiori licere imperare, imò grauiter peccat imperando id, de quo dubitat, an subditus præstare teneatur: de quo Adrianus VI. tractat. Quol. 1. inter cuius cõclusiones hæc etiam est, Nõ pertinet ad potestatẽ Cathedrę præcipere,

vt ej

vt ei obediatur, stante dubio, quia est cõtra legem naturalẽ. Sed potius obedire non teneretur Christianus, si sciret mandatum sibi dari de quo Prælatus ipse dubitaret; Dubium autem ineuitabile tũ demum colit debitam obedientiam, quando dubitat, sed ignorat Prelatum ipsum per se dubitare.

PROPOSITIO XIII.

NOn saluat Christianum, quod Pontifex constanter affirmat præceptum suum esse iustum, sed oportet illud examinare, & se iuxta regulam superius datam dirigere. Hoc ex precedentibus manifestè apparet: ita tamen vt quemadmodum in tradendo preceptũ, sic etiam in illud iudicando errari possit, & quemadmodum peccat qui periculo sese exponit nõ examinando preceptũ an sit iustũ, sic se exponit periculo, examinãdo opinionem Papæ quam de iustitia præcepti habet. Si quis a. præter rationes, authoritatem requirát, videat Glossam. c. ad, de temp. ord. Si precipitur quod omnino est malum, non faciat contra conscientiam, licet iustum videatur Prælato. In particulari Papæ Syluestris, verbo obed. 5. Vtrum Papæ sit in omnibus obediendum ab Ecclesiasticis, respondetur quòd non: primò, si præceptum sapit peccatum, & intellige etiam de veniali, etiam si Papa credat mãdatum iustum, & tamen subdito constat illud in se continere peccatum: Eandem etiam doctrinam fert Adrianus VI. Quol. 2. articulo 3. Ista propositio efficaciter probatur cap. inquisitioni, de sententia excommunicationis, &

capitul.litteras,de restitutio.spolia.

PROPOSITIO DECIMAQVARTA.

QVi, habito examine præcepti, nouit se minus aptum esse ad iudicandum illud an sit conforme vel contrarium legi diuinæ;& si ex obedientia scandalum sit oriturum, tenetur cum prudentibus & Sapientibus id communicare,nec non bonam habentibus conscientiam, & obseruantibus debito zelo sedem Apostolicam.

In casibus dubiis eligat bona conscientia partẽ securam, vbi nullum est periculum errandi, & ratio ipsa sic docet, & sancti iubent.

Quando autem dubium eiusmodi est naturæ, vt ab vtraque parte periculum adsit, tunc opus est omnia media adhibere ad cognoscendam veritatem.

In casu quem Propositio proponit, non est pars secura. si enim id non præstatur, quod præceptum iubet, periculum est peccatum incurrere inobedientiæ:si præstetur, diuinæ læsæ maiestatis. Vnde subinde, periculo se exponit erroris ignorãtiæ culpa,nisi modos omnes possibiles adhibuerit ad cognitionem veritatis perueniendi, & eius iustitiam cognoscendi quod vult operari: sed horum Consiliũ vnum est ei qui minus aptus est per se ad intelligendum legem diuinam. Ipse tenetur vt Gregorius ait, distinct.84.cap. Peruenit, quod per se nequit attendere, ab aliio saltem possit addiscere: cui etiam addi potest dist. 38. c.vlt. & Gloss.supra dictum c.Peruenit, ex lege tunc non prodest ignorantia cùm potuit addiscere vel per se, vel

se vel per alium. Supra quod etiam videri potest Nauar. in Manual. cap. 23. num. 46. Et de hac ipsa materia pluribus agit ipse author supra cap. siquis autem de pœn. dist. 7. num. 50. & sequen. Vbi intra alia hæc ibi verba : Excusamus item illum qui cùm non sit ea eruditione, vt per se opinionum fundamenta librare valeat, tamen bona fide ac seriò virum aliquem eruditionis, ac pietatis fama clarum consuluit. Et multas doctorum authoritates adfert, quæ ne replicentur his, poterunt videri. sed specialiter Gerson, tract. in materia excommunicationis dicit, Excommunicatio vel irregularitas nō incurritur dum in premissis casibus dicit aliquis Iuristarum, vel Theologus iuxta conscientiam suam, quod huiusmodi sententiæ non sunt timendæ vel tenendæ : & hoc præsertim si obseruatur informatio, seu cautela debita ne sequatur scandalum pusillorum qui existimant Papam esse vnum Deum, qui potestatem habet in cœlo & in terra. Verumtamen expellendæ est talium stultitia per informationes, qui si nolint acquiescere, ipsi iam sunt iudicandi de scandalo non dato, sed accepto. Et Nauarrus, cap. cùm contingat, de resc.rem.2.num.30.inquit, Qui vnius doctoris eruditione, ac animi pietate celebris, auctoritate ductus, fecerit aliquid, excusatur, etiam si fortè id non esset iustum, & alij contra vsum tenerent. Allegando etiam multos doctores, addit, Quòd etiam ad excusationem à violatione censurarum præcedere speciatim satis fateatur Ioan. And. Dominicus, &c.

Ex prædictis concluditur serenissimum Principem, & Rempublicam Venetam ex debito exa-

minasse duo illa præcepta ipsis à Pontifice sub 10. Decembris facta, vnum vt reuocarent suas leges, quibus Templorum in suo statu ędificationem, & laicorum bonorum in Ecclesiasticos alienationem prohibuit: alterum verò duas illas personas Ecclesiasticas propter enormissima delicta in carcerem coniectas, suæ Sanctitatis nuntio remitteret: quæ cùm videret, non solùm ad ea sese extendere quorum Pontifici nulla est authoritas, sed etiam repugnare legi diuinæ, iudicauit illis non esse obediendum, & respondit suę sanctitati cum illa reuerentia quæ ipsi conueniebat.

Sequitur etiam Prælatos huius status sub pœna peccati obligatos esse præcepta tum à Pontifice promulgata, vel promulganda, de seruando interdicto, ita vt par est, examinare, & an sint conformia legi Diuinæ, aut num scandalum, siue Ecclesię destructio, aut alia mala inde oriri possint, videre: quorum aliqua si deprehensa fuerint, rationem reddent, cur obedire nolint; & si quis, sine isto examine, quod tantò diligentius requiritur, quantò res maioris momẽti in eo tractatur, exequeretur, peccaret: nec quisquam ob superius allata & probata, dicat, se quidẽ firmas & validas agnoscere rationes Reipubl. suum tamen esse contradicere pręcepto Papę: hoc enim esset cõtradictum cap. si quando: multò minus se nolle illas examinare, sed pręsupponere Papam ęquum habere: ne in numero sint illorum, de quibus Euangelium dicit, Ceci sunt, & duces Cęcorum.

PRO-

PROPOSITIO XV.

SEntentia seu censura excommunicationis siue interdicti quam Pontifex ad reddendos mandato suo homines obedientes, quod tamen plerunq; iniustum est, & nullum, vel quia excedit authoritatem à Christo datam, vel quia contrariatur legi diuinę, fulminat; est iniusta & nulla, & errorem continet intolerabilẽ, & proinde recipi, neque ei obediri nec ęstimari debet, salua reuerentia sedi Apostolicæ debita.

Probatur: qui namque contra legitimum pręceptum non facit, non peccat: & qui non peccat mortaliter, licet etiam contumaciter, non potest excõmunicari: cùm Christus Dominus noster instituendo excommunicationem Matth. 18. proponat, Si peccauerit in te frater tuus, &c. & S. Paulus de quibus peccatis declarat 1. ad Corinth. c.5. Si is, qui frater nominatur est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi, nec cibum sumite, inquit. Nec admittit excommunicationem, nisi ad interitum carnis. Mala opera carnis numerat ad Gal.5. cõcludẽdo excludere illa è Regno Dei: esset ergo cõtra mentem Christi & Pauli, dari aliquem excommunicatum, ob causam, in qua nullum est peccatum commissum, nec vlli æquo pręcepto contradictum. Nec vllus dabitur neque Theologus, neque Canonista qui tanquam claram & manifestam propositionem hanc teneat.

Neque iniustum iudicium, est iudicium, quemadmodum sanctus Thomas dicit, secunda secundæ, quæstione, 70. articulo quarto. Nec sententia iniusta propter defectum cau-

sæ est sententia, vt Cajetanus affirmat in illo loco. Nec iniusta excommunicatio, vt testatur Adrianus, Quolib. Sexto. & Cajetanus tractat. 29. de excomm. & Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. Et si sit iniusta saltem in Foro conscientiæ, non est sententia in illo Foro, quòd si iniusta fuerit etiam in foro ciuili, multò minus est sententia vel excommunicatio, in ipso Foro ciuili; probatur etiã ex S. Thoma, secunda secundę, quęstio. 67. articulo primo, Sentẽtia est lex particularis, lex autem iniusta non est lex, sed tyrannis, Sententia proni iniusta non est Sententia. Quamobrem ad dictum illud, quod vulgo citatur Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta timenda, respondetur; requiri, vt sit Sententia; illa verò, quæ errores intolerabiles continet non est Sententia, proinde nõ timenda. Vnde benè Gerson in materia excommun. & irregular. septimo. Alioquin prælati possent inducere qualemcunque vellent in alios Seruitutem, si suis sententiis iniquis, & erroneis semper esset obediendum: & ita patet, quod hoc commune dictum, Sententia pręlati, vel iudicis, etiam iniusta, timenda est, indiget Glossa, alioquin non est generaliter vera, si dicitur timenda, quia est, sustinenda; nec repellenda: imo in casu pati illam esset Asinina patientia, & timor leporinus, & fatuus.

Multi afferantur casus in quibus Sententia excommunicationis est nulla, Glossa adducit 12. cap. præsenti de Sentent. excommu. in 6. præfert Nauarr. a. 5. in Manu. cap. 27. numer. 4. Angelus excomm. 4. n. 19. in medium attulit 25.

Et in omnibus istis autoribus reperitur plurib. in locis noster casus. Potest videri Do. Sotus loco cita-

citato, vbi probat excommunicationem fulminatam contra aliquem, eò quod aliquid laude dignum præstitit, vel rem illicitam non approbauit, nullam esse. Sed Gerson loco dicto, recensens, Secundum doctrinam Innocentij, casus, quibus excommunicatio non valet, nominatim de excommunicatione à Pontifice Romano fulminata loquitur: Alter est, si sentient in præiudicium iustæ libertatis, vt si volens vsurpare ciuitatem vnius Principis, ferat Sententiā excommunicationis in nolente eam sibi tradere, & ita de multis similibus, vt si excommunicare vellet illos, qui suo Regi, & suis edictis rationalibus obediunt: notauit hoc Innocentius vbi prius.

Et ne diutius immoremur in allegandis Doctoribus, ipsos iam canones videamus; multos affert Gratianus, qui expresse dicunt, non metuendā iniquā excommunicationem: cap. cui illata. capit. Secundū Catholicā cap. cepisti habere cap. Temerarium. cap. Quid obest: cap. Quomodo: cap. illud planè. 11. quæst. 3. cap. si quis, 24. quæst. 3. cap. Manet: 24. quęst. 1.

Et si quis non possit omnes videre, videat saltem primum & vltimos duos, & satis edocebitur.

Et vt etiā in specie doceatur quomodo se Christianus cōtra quem fulminata est talis censura gerere debeat, suadet Petrus de Palude in hunc modū in 4. d. 18. q. 1. Qui nulliter excommunicatus publicè excommunicatus denuntiatur, ita ex aduerso ipse publicet causam quare Sententia non valeat, puta appellationem, vel aliam iustam causam, quo facto nō est amplius scandalum pusillorū, sed Pharisæorum, vnde contemnendum. Antoninus ean-

dẽ ſequitur Doctrinã,& Nauarr.cap.cùm cõtingat. rem.2.& Gabriel,in quarta diſtinct.18.quæſt.2.

De interdicto nõ opus eſt Specialẽ facere mentionẽ,quia eſt fũdatã ſupra excõmunicatione:vndè ſi eſt nulla, etiã illud nullarũ erit viriũ: ſic ait Sylueſt. ver.interd.2.nu.2. Et ſi Interdictũ eſſet ſolũ, propter eandẽ causã nullũ eſſet,propter quã excõmunicatio eſt nulla.Nauar.in manua. c.27.nu.187.

PROPOSITIO XVI.

SEntentia iniqua & nulla(etiã à Summo lata Põtifice)eſt abuſus poteſtatis,ac propterea violẽtia quędã,cui licitũ eſt&neceſſariũ nõ habẽti principẽ ſuperiorẽ qui impediat, ſe omnibus mediis à Deo conceſſis opponere, puniẽs exſecutores,ſalua tamẽ ſemper reuerentia erga ſedem Apoſtolicam.

Reſiſtere vim facienti, & iniuriam illatam propulſare iuris eſt naturalis, ac proin nulla hîc opus eſt vlteriori demonſtratione, niſi vt verus eius loci afferatur ſenſus, Si quis percuſſerit te in maxillã dextram,præbe ei & alteram:& ſi quis voluerit tecum iudicio contendere, & tollere tibi tunicam, dimitte ei & pallium: & qui angariauerit te mille paſſus, vade cum illo & alia duo, Quod S. Auguſt. de mend.ad conſi.c.15.& Ench.cap.78.& in Expoſitione eius loci docet exequendum eſſe non in facto,ſed in præparatione animi, ad ferendam patienter omnem iniuriam.Verùm non quòd homo multis debeat vti mediis à Deo conceſſis: & exemplo S.Pauli,qui poſtquam alapam à ſummo Sacerdote accepiſſet, alteram non porrexit maxillam, ſed potius pro viribus reſiſtens dixit: percutiet te Deus,paries dealbate.

Iniquam autem ſententiam eſſe rem violentã,res eſt manifeſta 20.Eccleſiaſtic. Qui facit per vim iu-

dictum iniquũ.& Esaię 10.vel qui cōdunt leges iniquas,& scribētes iniustitias, scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humiliũ populi mei. Nullus priuatus potest renunciare potestatem seipsum defendendi naturalem; tanto minus potest eam negligere Resp. quéadmodum sanè ostēdit Nauarr. cap. nouit. de Iudic. not. tertio, num. 119. Sed quoniam ista ratio est generalis, aliquis forsan poterit dicere, nō esse talibus vtēdum mediis contra potestatē supremam, qualis est Pontificia. Videamus Doctores, qui in specie docent, non solùm posse quē, sed etiam debere se opponere Pontifici, si sua abutatur autoritate. Baldus in c. olim. de rescriptis, dicit, non solum in tali casu non obediendum Papę, sed etiam cum reuerentia resistendũ: & ad hoc efficiendũ arma etiã sumenda.

Gerson in regulis Moralibus, titulo de pręceptis Decalogi, iure naturali vim vi repellere licet. Sic quod impetitus aliquis à quacũq; persona cuiuscũque dignitatis, etiã Papalis, via facti, & non habens iuris remedium, fas habet iniurianti de facto resistere, secundum qualitatem iniurię, scilicet quantũ requiritur, & sufficit cōtra illũ, ad sui tutamentũ ab hac via facti. Et in libro de A.P. cōsilio 14. Quod si sit aliquis, qui totã præsidentiã suã, & Papalem dignitatem conuertere velit in instrumētũ nequitiæ, & destructionis alicuius partis Ecclesię in tēporalib⁹, vel spiritualib. nec pateat sufficiēs remediũ aliud, nisi subbucēdo se ab obediētia talis potestatis sęuiētis, & seipsa abutētis, & hoc ad tēpus, vel quousq; Ecclesia, vel concilium prouideat, hoc fas erit. Et libro de vnitate Ecclesię consi. 10. Occurrere possunt casus multi, in quibus pro conseruatione

pacis publicæ,aut iustæ defensionis,sicut vim vi repellendo liceret à ritè electo in Papã substrahere obedientiã,&c.Et infra,fieretque ei obediẽtia vera,potiúsq; cõtradictio,vel resistentia, licerétque præmissas sentẽtias suas qualescũq; nõ timere, nec timendas asserere,sed lacerare eas, & in caput suũ retorquere.Et in tractatu circa materiam excommunicat. & irregul. consil. decimo.Contemptus clauium etiã non semper inuenitur apud illos,qui ne dum non obediunt sententiis excommun.promulgatis per Papam, vel suos, sed etiã non est iudicanda, esse apud illos,qui per potestatẽ secularẽ, aduersus tales prætensas sententias tueri se procurant:lex enim naturalis dictitat, vt possit vis vi repelli: constat autem quòd tales excommunicationes non debent dici ius,sed vis,& violentia,contra quã habet fas liber vel homo, vel animus se tueri. In isto autore sæpius est tractata & decisa ista propositio,& possunt etiam legi paulopost quæ extãt de vita Spirituali animæ,lectio. tertia,& Trilogus in materia schismatis. Sed præter ipsum etiã Syluest. ver. Papa quartus, allegans Petrum de Palude,demonstrat in multis non obediendum Papæ, sed ei resistendum,sícque malis occurrendum.

Caietanus primo suo opusculo de potestate Papæ,& conciliorum, cap.27.Sotus Quarto dist.15. quæst.secunda,articulo secundo. Victorius in repetitio.de potestate Papæ;& concilior. propositione 22. Locum Antonij Cordubẽsis operæpretium est ipsis verbis formalibus adducere, qui l. quarta,quæstio.decima.distinct.tertia inquit,Vbi Papa potestate abutitur,Episcopi resistere possunt; & si hoc non sufficit, possunt implorare Principes secula-

culares,vt eorum autoritate, & potentia resistant vi, & armis,non per viam iurisdictionis in Papã, sed iure defensionis, & comprehendãt,& puniant executores mãdatorum,siue ministros: infra,neq; excõmunicatio,aut alia cẽsura à Papa inflicta quicquã valet neq; tenẽda,neq;timẽda,quia sicut mandatũ eius, ita & ipsa sentẽtia iam notoriè iniusta ex parte causę & ipso facto nulla,neq; tenẽda,neq;timenda est. Illud idẽ docet Cardinalis Turrecremata:leg.secũda c.106.Et Card. Bellarm.li.2.de Rom. Pont.cap.29.cuius verba sunt hæc: Itaq; sicut licet resistere Põtifici inuadẽti corpus, ita licet resistere inuadenti animas,vel turbanti Remp.& multò magis si Ecclesiam destruere niteretur:licet inquam ei resistere non faciendo quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem suam,&c.

De isto resistẽdi modo tractãt Felinus & Decius cap.si quãdo de rescrip.Socin.senior,capit.nulli,de Sententiã excommun.Curtius senior,cõsilio decimo. Nauarr. capit.cùm cõtingat rem.secũdo.Multi ex doctoribus agũt de modis,quibus Ecclesiastici Papæ censuris iniquis resistere debeãt,vt& abusus Põtificis in dispẽsatione bonorum Ecclesiasticorũ:nihilominus hæc minus ad rẽ faciũt,ad probãdum seculares,imprimis Principes in rebus præsertim temporalibus, multò magis posse & debere id agere: si enim in spiritualibus & Ecclesiasticis, quibus Deus solus eos præfecit,si abutantur potestate, licet eis resistere, quãto magis in tẽporalibus rebus quas Deus ipsis non commisit? Et si Ecclesiastici,qui plus sunt subiecti,possunt resistere,quãtò magis seculares & Principes:Et si multi ex Doctoribus permittũt vt Ecclesiastici implorẽt opẽ Prin-

pacis publicæ, aut iustæ defensionis, sicut vim vi repellendo liceret à rite electo in Papã subtrahere obedientiã, &c. Et infra, fieretque ei obediẽtia vera, potiúsq; cõtradictio, vel resistentia, licerétque præmissas sentẽtias suas qualescũq; nõ timere, nec timendas asserere, sed lacerare eas, & in caput suũ retorquere. Et in tractatu circa materiam excommunicat. & irregul. consil. decimo. Contemptus clauium etiã non semper inuenitur apud illos, qui ne dum non obediunt sententiis excommun. promulgatis per Papam, vel suos, sed etiã non est iudicanda, esse apud illos, qui per potestatẽ secularẽ, aduersus tales prætensas sententias tueri se procurant: lex enim naturalis dictitat, vt possit vis vi repelli: constat autem quòd tales excommunicationes non debent dici ius, sed vis, & violentia, contra quã habet fas liber vel homo, vel animus se tueri. In isto autore sæpius est tractata & decisa ista propositio, & possunt etiam legi paulopost quæ extãt de vita Spirituali animæ, lectio. tertia, [& Trilogus in materia schismatis. Sed præter ipsum etiã Syluest. ver. Papa quartus, allegans Petrum de Palude, demonstrat in multis non obediendum Papæ, sed ei resistendum, sícque malis occurrendum.

Caietanus primo suo opusculo de potestate Papæ, & conciliorum, cap. 27. Sotus Quarto dist. 15. quæst. secunda, articulo secundo. Victorius in repetitio. de potestate Papæ; & concilior. propositione 22. Locum Antonij Cordubẽsis operæpretium est ipsis verbis formalibus adducere, qui l. quarta, quæstio. decima. distinct. tertia inquit, Vbi Papa potestate abutitur, Episcopi resistere possunt; & si hoc non sufficit, possunt implorare Principes secula-

culares,vt eorum autoritate, & potentia resistant vi, & armis,non per viam iurisdictionis in Papá, sed iure defensionis, & comprehendãt,& puniant executores mãdatorum,siue ministros: infra,neq; excõmunicatio,aut alia cẽsura à Papa inflicta quicquã valet neq; tenẽda,neq;timẽda,quia sicut mandatũ eius, ita & ipsa sentẽtia iam notoriè iniusta ex parte causę & ipso facto nulla,neq; tenẽda, neq;timenda est. Illud idẽ docet Cardinalis Turrecremata:leg.secũda c.106.Et Card. Bellarm.li.2.de Rom. Pont.cap.29.cuius verba sunt hæc: Itaq; sicut licet resistere Põtifici inuadẽti corpus, ita licet resistere inuadenti animas,vel turbanti Remp.& multò magis si Ecclesiam destruere niteretur:licet inquam ei resistere non faciendo quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem suam,&c.

De isto resistẽdi modo tractãt Felinus & Decius cap.si quãdo de rescrip.Socin.senior,capit.nulli,de Sententiã excommun.Curtius senior,cõsilio decimo. Nauarr. capit.cùm cõtingat rem.secũdo.Multi ex doctoribus agũt de modis,quibus Ecclesiastici Papæ censuris iniquis resistere debeãt,vt& abusus Põtificis in dispẽsatione bonorum Ecclesiasticorũ:nihilominus hæc minus ad rẽ faciũt,ad probãdum seculares,imprimis Principes in rebus præsertim temporalibus, multò magis posse & debere id agere: si enim in spiritualibus & Ecclesiasticis, quibus Deus solus eos præfecit,si abutantur potestate, licet eis resistere, quãto magis in tẽporalibus rebus quas Deus ipsis non commisit? Et si Ecclesiastici,qui plus sunt subiecti,possunt resistere,quãtò magis seculares & Principes:Et si multi ex Doctoribus permittũt vt Ecclesiastici implorẽt opẽ Prin-

ad peccatũ cõmissum afferãt, quemadmodũ si quis illud laudet, vel aliquid inde accipiat vtilitatis: alia ita concomitãtur vt sine ipsis nullus sequeretur effectus. Exsecutio sententiæ est pars notabilissima, & talis vt sine sententiam nõ habeat vltimam perfectionem; propterea non peccat solùm minister, qui exsequitur sententiam iniquam, sed partem habet maximè principalem in peccato: quapropter diuina inquit sapientia, Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, Ecclesiast. 10. & Prouerb. 19. Princeps qui diligit mendacium, omnes ministros habebit impios.

Interdicti exsecutor non solùm est is, qui sententiam fert, & eam intimat: sed etiam quilibet Ecclesiasticus, qui illud obseruat. Et sententiam excommunicationis nõ solùm is exsequitur, qui eam intimat, sed etiam omnis is, qui recedit ab excommunicato, ipsíque officia debita denegat, quoniã sententia contra ipsum est pronunciata.

Inde sequitur, quòd, cùm hoc interdictum sit nullum, omnes peccent Ecclesiastici, qui illud obseruant: & cùm excommunicatio sit nulla, errent omnes ij, qui abstinent à communione eorum, qui ita iniustè sunt excommunicati, ipsis ea non præstando, quæ ordinariè ipsis citra vitium denegare non possent.

Hęc conclusio est probata & destinata à Nauarro cap. cùm contingat, Rem. 2. num. 29. Iniuriam inquit, facit, qui excommunicatum prætendentem suam excommunicationem nullam, vitat in his, in quibus vitatio est illi præiudicialis, secundũ Innocent. & omnes alios in illo cap. solet. Videãtur num. 28. & num. 29.

PROPOSITIO XVIII.

PRinceps, contra quem, eò quòd non receperit mandatum nullum à Prælato ſpirituali, fulminata eſt ſententia excommunicationis nulla, & cuius ſtatus eſt ſubiectus Interdicto nullo; poteſt vi ſibi à Deo conceſſa, prohibere obſeruationem, ſibíque poſſeſſionem ſeruare, in qua viget exercitium ſanctæ Catholicæ fidei, & ſi exiſtimaret cultum diuinum diminuendum, aut aliquod inde oriturum ſcandalum, erraret id permittendo.

Hoc demonſtratur, cõſiderando cuiuis iure naturali eſſe permiſſum honorem ſuum contra eum, qui de facto ipſum eo priuare cupit, defendere, & ſi ſit perſona publica, adeò vt infamia non principaliter in ipſam, ſed in commune ſit redundatura, ſine peccato defenſionem omittere nequit, quemadmodum probat Caietanus 2.2. qu.73. art.3. & Sotus in l. de rat. teg. & Nauarrus in Manual. cap.18. nu.46. & in genere omnes Theologi, Canoniſtæ & Summiſtæ.

Aſt in grauiſſimum incideret periculum, ſummúmque Principi eſſet dedecus,

cus, si videns necessitatem vrgere suam conseruare libertatem & superioritatem ipsi à Deo concessam, si mandato illi pronunciato nullum non se opposuisset, & postea executionem Interdicti fulminati negligendo, demonstraret se peccasse non obediendo; & tamen ab aliis Principibus suísque subditis parum haberetur prudens, parúmque Religiosus; quod dedecus etiam in subditorum capita totúmq; statum redundaret, magnúmque eius gubernationi afferret detrimentum, Nauarr. cap. cùm contingat, Rem. 2. num. 22. & 23. suadet priuato, in quem fulminatæ erant cẽsuræ, quas ipse in publica disputatione demonstrauerat esse inualidas, & nullas, ne vlla ratione à rebus diuinis, quas non solùm ex debito exercere debemus, sed etiam deuotionibus voluntariis publicis abstineret: ne vllus ipsum pro vero haberet excommunicato: addens hoc non esse contemnere censuras, sed potiùs legitimas magnifacere; non adorando Deum falsum pro vero & non confitendo contra propriam conscientiam, & cum scandalo se commisisse peccatum. Quicũque ipsum eo in loco legerit, non solum rationibus

Christiana religione autoritate diuina fœdus quoddam inter fideles & Ecclesiæ ministros fuit sancitum; nempe vt ipsi verbum Dei populo proponerent, & Sacramenta administrarent, vt & officia Diuina peragerent, & vicissim populus ipsis victum suppeditaret necessarium. De his loquitur Paulus 1. ad Cor. cap. 9. Quis militat suis stipendiis vnquam, quis plantat vineam, & de fructu eius non edit, quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysis; Non alligabis os boui trituranti. Quemadmodum miles stipendium ipsi debitum recipit, & ita tenetur pro eo militare; ita Pastor tenetur subministrare pastum, & vicissim recipit lac; & bos potest prohiberi ne frumẽtum areæ comedat, nisi quis eo vtatur.

Si igitur, cùm minister altaris, id, quod debet, populo ministrauit, potest de iure suum repetere stipendium, & armis suis spiritualibus contra eum, qui ipsi stipendium denegat, vti; ita quoque vicissim populus, quando id quod debet, ministris suppeditauit, vi suam potest confer-

uare possessionem aduersus eum, qui adimere ipsi volet.

Res minus honesta censebitur, vt Ecclesiastici, cùm ipsis non tantum necessaria ad vitam, quæ ipsis Euangelium ad inseruiendum populo assignauit, sed centies plus suppetant; sibi ea, quæ ipsis data sunt, retineant, & vicissim id quod debeant, non etiam retribuant.

Et si quis dicat ipsos contentos esse omnia relinquere, & abire; ipsi respondebitur cõtractum inter ipsos & populum, non esse precarium, sed obligationem mutuam & perpetuam.

Et quid, si Princeps eos dimittere vellet, reclamaret iure Pontifex, dicendo, bona data esse Ecclesiasticis irreuocabiliter, proinde homines non posse sua authoritate id annulare; eodem iure si discedere velint, Princeps respondere poterit, se nolle, eò quòd ipsi in rebus diuinis sine pœnitentia seruire teneantur.

Ad confirmationem autem huius rei restat alia propositio demonstranda.

PRO-

PROPOSITIO XIX.

INterdictum, est censura noua in Ecclesia, qua si quis non vtatur cum discrimine, destruit Ecclesiam.

Hoc probatur quia nulla fit mentio interdicti, neque quoad vocem, neque quoad significationem, neque in scriptura sacra: neque in quoquam ex Patribus antiquis; neque in collectione canonum Burcardi, neque Iuonis, neque Gratiani, qui scripsit circa annum 1150. Sed post ipsum incipit. Quia primus mentionem facit in decretalibus Alexander 3. in quadam sua Epistola ad Prelatos Angliæ Anno 1170.

Quod siquis existimaret capit. miror. 11. quæstion. 4. de Interdicto intelligendum; statim per se cognoscet nulla ratione de locali, de quo loquimur intelligi posse: Secundò aliud esse oblatione non recipi, & aliud non interesse diuinis.

Qui autē sunt in historiis versati, non ignorant, Bonifacium Comitem semper Carthagine habitasse, proinde nulla ratione potest inde aliqua colligi conclusio de antiquitate Interdicti localis, quod innocentes concernit.

ſa, clauſis ianuis, & ſine Campanarum pulſu: & in Feſtis Natiuitatis, Paſchquatis, Pentecoſtes, & Aſſumtionis D. Virginis, publicè apertis ianuis & cum campanę pulſu celebrarentur. c. Alma mater de ſen. excom. in 6.

Quales fuerint Interdicti fructus operæpretium eſt ex ipſis capit. citati, Alma mater, & Extrauag. prouidè, verbis recitare; Quia verò, inquit, ex diſtinctione huiuſmodi ſtatutorum exareſcit indeuotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgunt, ac Eccleſiis ſine culpa earum debita obſequia ſubtraherentur.

Verba extrauag. ſunt, Tolluntur mortuis, ſeu minuuntur ſuffragia, præſertim per oblationem frequentem hoſtiæ ſalutaris: adoleſcentes & paruuli participantes rarius Sacramenta minus inflammantur, & ſolidantur in fide, fidelium tepeſcit deuotio, hæreſes pullulant, & multiplicantur pericula animarum. Et Gloſſa in idem capit. Alma mater, ait, poſt ſublatum interdidictum in aliquo loco, homines 30. aut 40. annorum, qui nunquam viderant celebrari miſſam, irriſiſſe Sacerdotibus qui cele-

brabant. Videamus etiam id, quòd Dominicus Sotus Doctor celebris ait in distinct.22.quæstion.3. articul. 1. Immo interdictum, quamuis ex vna parte ad terrorem excommunicatorum conducat, ex altera tamen in periculum diuini cultus vergit: potissimum si fuerit prolixum, nam tum non solùm populus desuetudine frequentandi diuina officia, affectum eorum & sensum amittit, verùm etiam & clerus ipse remissior fit, & ignauior ad eadem diuina celebranda, qua vtique ratione, & diuina religio detrimentum patitur, & populus solet in moribus siluescere. Ad euitandam hanc confusionem ad tempus, si non ob causas legitimas fuit interdictum aliquod Regnum, vel status aliquis; Principes consueuerunt prohibere exercitationem. Quod tamen fecit Respub. Et de hac re multa possent in medium adferri exempla: sed quoniam omnia euenerunt tempore belli, quædam saltem quæ in pace contigerun addicemus. Anno 1468. Paulus II Interdicto subiecit vrbem Niuernensem & Parlamentum Parisiense per Arrestum factum 2. Decemb. eiusdem anni

ni,quæ est in Indice, ordinauit vt diuina seruitia continuarentur, Ecclesiasticósque ad illud sequendum coegit.

Et anno 1488. Innocentius VIII. interdixit Gant. & Biturigib. & Parlamentum pronunciauit Interdictum abusiuum, & mandauit continuationem cultus diuini, vt narrat Renatus Copinus tit. 2. tit. 4. q. a. Omnibus est notum Philippum Bellum Regem Galliarum vsum esse remedio, quo nunc Resp. vtitur, cùm ipsius regnum esset interdictum à Bonifacio VIII. & Ludouico XII. & Papa Iulius II. Sed addamus hoc quod magis est, quòd Ludouicus Richeomo modernus Prouincialis Iesuitarum in Apologia Regis Galliæ laudat & commendat factum Ludouici XII. illúdque cuiuis Regi imitandum proponit; & affirmat etiam ipsis Gallis eius Regis subditis, si forsan Papa regnum Galliæ vellet oppugnare, idem faciendum.

Res ergo proposita satis iam, quantum ab initio probandũ sumpsimus, supérq; est demonstrata. Quod & facilius probari potuisset ex autoritate Antiquorum patrum: sed quoniam in præsenti

casu videntur Doctores Classici clarius rem docere, placuit potius res à nobis propositas ex autoritate modernorum probare: quamuis doctrina harum propositionum semper fuerit in Ecclesia obseruata, tamen eam iudicio Sanctæ matris Ecclesiæ, quæ errare non potest, subiicimus.

FINIS.



CAES. BARONII

S. R. E. PRESBYTERI

CARD. TIT. SS. NEREI

ET ACHILLEI

Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarij

PARÆNESIS,

Ad Rempubicam Venetam.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,

Apud Dauidem Francum.

M.DCVI.



CÆS. BARONII S.R.E. PRESBYTERI CARD. TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI

Sedis Apostolicæ Bibliothecarij

PARÆNESIS

Ad Rempublicam Venetam.



Oleo vehementer, quod hortaturus vos, quos plurimum diligo, nullis tamen salutationibus, quæ communicatoriis ac pacificis (August. ep. 192.) litteris inter Catholicos, Catholica communicatione coniunctos, in concordiæ symbolum præfigi consueuere, more maiorum, permulcere liceat: sed salutationibus intercisis, non aliter, quàm si ad homines extra Christianam religionem errantes Gentiles ipsos scribendum foret, vobiscum agere fas sit: iubente id potissimum Domino nostro Iesv, (Matt. 18.) vt qui Ecclesiam non audierit, sit nobis tanquam Ethni-

cus,& Publicanus. cum tamen his infelicibus ve
ipsos reddideritis infeliciores , siquidem non so
lum Ecclesiam non audistis,sed spreuistis,contem
psistis , ignominia summa affecistis publicis dat
litteris , omni execratione dignissimis , quas tam
quam ostentum Ecclesia vniuersalis exhorruit , e
vt monstrum excussit. Quis Orthodoxorum , t
mens Deum,qui legit vestras litteras contempt
plenas,non statim offensi numinis zelo exæstuan
ex intimis præcordiis in propheticum(Ierem.2.)i
lud erumpat:Obstupescite cœli super hoc, & port
eius desolamini vehementer] cum portæ infe
(Matth.16.)adeo extolluntur cōtra Regnum cœlo
rum , quod est Ecclesia , ac ipsum Dominum
At sicut omnium in Deum bellum gerentium ce
tus est casus, ita nec dubia ruina,secundum illud
crarum sententiarum:Qui in altum mittit lapide
super caput eius cadet.Eccle.27.

Cum igitur ea sit communis vox exclamantiu
in vos Orthodoxorum: silere ne potuerunt sanc
Romanæ Ecclesiæ Cardinales , ad quos non solu
sui capitis , ipsius Romani Pontificis defensio s
ctat,sed qui cuiuscūque , pro Ecclesiastica libert
tuenda laborantis , suscipere patrocinium tene
tur, ita ad eos martyrij candidato scribente , & i
sanguinis voce clamante S. Thoma Cantuarie
Archiepiscopo : (Cod.Vat.in app.ep.S. Tho.) C
conscientia dissimulatis iniuriam Christo illat
in me,immò & in vobis , qui Christi vicem ge
re debetis in terra ? Nonne causa mea simul
stra est ? immo penitus vestra, tueri videlicet te
tes Ecclesiasticam immunitatem ?] Tanto ig
clas

classico excitari, hortationẽ aggredimur, sed quę mẽ prius doloris iaculis feriat, & vos pungat reprehensionis aculeis ad salutẽ paratis. ita enim dictat exuberãs dilectionis affectio, quia sitio salutem vestram in visceribus Christi. Vnde & huius series exhortationis emanat, nempe de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, 1. Tim. 1.

Quamobrem occurrentes vestræ manifestæ perditioni, hisce vos (vt in re valde seria) diuinis oraculis compellare compellimur: Quare auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? (Ierem. 8.) Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prœlium.] vt visus sit optasse, quod fugiendum esset maximum omnium malum. Auersio plane illa contentiosa est, qua diluenda peccata, ad pœnitentiam patefacta, atque damnata verbis ac scriptis, mira animi firmitate, immo dura obstinatione, ac furenti pertinacia defendi dicuntur ab omnibus, dum omnium nomine Senatorum literæ aduersariæ promulgantur: cum tamen probe nouerimus, studia ista haud ab omnibus Senatorib⁹ comprobari, immo prudentiorum sententiis condemnari, atque lacrymis deplorari. Et quamuis aduersantes dicant (quod ibidem subiicitur à Ieremia) Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est: in eos ipse ista retorquet, dicens: Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarũ.] Vt merito illis, quos eadẽ peccata perstringunt, vr-

gent, & damnant, timendum ſit, ne eadem quæ ſi-
bi ſubiicitur diuinitus immiſſa vindicta in extermi-
nium gentis illius, vos maneat, vt feriat, perdat,
atque conſumat, quod Deus à vobis auertat. Con-
tingat enim me prius vita fungi, quam ideò iſta a-
do funeſta videre. Sumus, ſumus, ſicut & fuimus
ſemper (teſtis eſt Deus) omnium veſtrum amantiſ-
ſimi & ſtudioſiſſimi, ſemper memores charitatis
veſtræ qua nos excepiſtis, cum Venetias veniſſe-
mus, vt quantumlibet immeritus, & peccator, de
vobis tamen mihi ſit propemodum pręedicandum
quod Apoſtolus ait de Galatis: (Galat. 4.) Sicut An-
gelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum IESVM,
memores & frequentis per dies ſingulos concur-
ſus & accurſus ampliſſimorum Senatorum, atque
illuſtriſſimorum magiſtratuum, nos conuenien-
tium, & (ſecundum illud Ioannis (ep. 3). deducen-
tium digne Deo.] cum & quadam amoris exuberan-
tia coegiſtis, & extorſiſtis importunè impertiri vo-
bis aliquid gratiæ ſpiritualis in miniſterio verbi
Dei, vt ſic penes vos noſtri apoſtolatus licet indi-
gne perfuncti remanſerint qualiacúmque impreſſa
veſtigia. Currebatis bene, quis vos impediuit veri-
tati non obedire? Galat. 5. (ſpiritualis ſic vos arguam
verbis Apoſtoli.) Vtinam abſcindantur qui con-
turbant vos,] & mergunt in profundum abyſſi, i-
pſum imum barathrum peccatorum, quod eſt diſci-
plinæ contemptus. ſic enim in ſacris oraculis ſcri-
ptum eſt: Impius cum in profundum venerit pecca-
torum, contemnit.] Prou. 18.

Ad quod puniendum ſiue expiandum delictum,
quo ipſe peccans perpurgari nolit inuitus, quod ni-
accuſet; magis autem defendat, opus fuerit eccle-
ſiaſtic

ſiaſtico conflatorio cenſurarum (Eſt enim ignis in Sion, (Iſai.31.) & caminus eius in Ieruſalem, ad combuſtionem peccatorum. In qua quidem fornace ſic ardet ignis, vt purget, non autem conſumat niſi peccatum. Nam & Corinthius ab Apoſtolo in hanc eſt fornacem immiſſus, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. ita plane vbi bono remedio vtitur bene patiens, accidit iuxta illud Prouerbiorum(Prou.25.) Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum:aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.]fiátque quod &per Iſaiam eſt pollicitus eidem populo ſuo, dicens: (Iſai.1.) Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum,& reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius & conſiliarios tuos, ſicut antiquitus. Poſt hæc vocaberis Ciuitas iuſti, Vrbs fidelis.] Ita quidem agitur res feliciter, ſi qui ad purgandum in conflatorium mittitur,non contradicat,nec augeat potius reſiſtendo peccatum. Eſt enim tantæ officinæ opifex Deus, idémque ignis Dominus noſter Ieſus Chriſtus,quod Malachiæ,(Malach.3.) diuinitus oſtenſum eſt, qui ait:Ipſe quaſi ignis conflans,] & quod ſubdit: Sedebit conflans & emundans argentum.]Qui & docuit iſta ſuos Apoſtolos, (Ioan. 15.)Omnia,inquiens,quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis]& collaborat vna cum ipſis. Nam hæc ad eos: vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.]Præficiens vero operi Petrum,hæc ad eum: (Matth.16.) Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram,

erit solutum & in cœlis.] & spondens assore iugiter præsentia sua, ait: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ego in medio eorum sum.]& contestans, se etiam non solum cum suis, sed & in suis esse, adiicit:(Luc.10.)Qui vos audit, me audit,& qui vos spernit, me spernit.]

Vnde summa fiducia, qui diuinitus ab eo ipsius successor subrogatus est Paulus, Pauli his potuerit ac debuerit vti verbis:(2.Cor.13.)An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Quibus est vsus verbis Apostolus, cum comminatus est supplicium Corinthiis delinquentibus, vt sciret Ecclesia, vltori scelerum assistere Deum Episcopo, eius honorare ministerium, approbare auctoritatem. Hoc vniuersorum sanctorum Patrum concilium probat: quod denique scriptor suorum temporum luculentissimus Petrus ad Cœlestinum Pontificem scribens, his verbis insinuat: Petri.Bles. epist. 146. princeps Apostolorum adhuc in Apostolica Sede regnat & imperat, & in medio est constitutus iudiciarius rigor. Illudque restat, vt exeratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc constituit super gentes & regna. Christi Crux antecellit Cæsaris aquilas, gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes præiudicat Imperatoriæ potestati. Vestra potestas à Deo est, an ab hominibus? Nonne Deus deorum locutus est vobis in Petro Apostolo, dicens:(Matth.16.) Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis?]Nō ergo degenerat in hærede Petri dignitatis Apostolicæ reuerenda successio.

Paulus igitur, idémque Petrus vicem Christi agens

gens in terris, suorum sanctissimorum prædecessorum exemplo, salubre, idemque necessarium ad salutem remedium est operatus in vobis, iam in certum prolapsis interitum, quo Imperatores & Reges eodem morbo duræ pertinaciæ laborantes redditi sunt pristinæ sanitati, & inter alios, qui penes vos curatus est, Fridericus Aenobarbus, diuturnus & obstinatus hostis Ecclesiæ: cupidissimúsque idem Pontifex vestræ salutis, salutaria vincula parauit, ad perpurgationem conflatorium amoris incendit, cum in vos tonitrui instar cælitus lapsi ad perterrendum, potius quam ad perdendum, salubrem sententiam excommunicationis intorsit in sacro illo codémque pleno fratrum cõsessu, vniuscuiusque rogata sententia sententia. Tunc plane accidit secundum illud propheticum: (Dan. 4.) Commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis.] cũ nimirum sacro suffragio reuerendissimorum S. R. E. Cardinaliũ, eadem sententia diuersis rationibus stabilita, disertis verbis asserta, magna; animi constãtia confirmatur ab omnibus, & roboratur: quod scirent omnes, à Deo decretum, quod esset per eius Vicarium promulgatum summa prudentia, atque scientia. sic namque ipsi, rem tantam agentes maiorum suorum exemplo, memores patriæ vocis, qua olim (Apud Cypr. epi.31.) Romanus Clerus ita litteris contra ingruentes schismaticos sanctum allocutus est Cyprianum, Absit ab Ecclesia Romana, vigorem suum tam profana facilitate dimittere. & neruos seueritatis, euersa Fidei maiestate, dissoluere &c.] Sicque pristinũ retinuerunt cũ sano capite coniuncta membra vigorem. Factum est igitur, vt quod maiorũ exẽplo fuerat faciendum, & facienti-

bus bene cessisse sciretur.

At hic (quod lamentatus est Ieremias Ier. 6.) c
fecit sufflatorium, in igne combustum est plumb
Frustra conflauit conflator, malitiæ enim eoru
non sunt consūptæ.] & quod queritur Ezechiel 2
dicens: Multo labore sudatum est, & non exiuit
ea nimia rubigo eius neque per ignem. Immund
tia tua execrabilis, quia mundare te volui, & n
es mundata à sordibus tuis. Ego Dominus locut
sum.] Quibus ita peccantibus alterum de duob
euenire solet, & quod terribilius, illud, vt istiusm
di à Deo penitus deserantur, secundum illud di
num oraculum: Ierem. 51. Curauimus Babylone
& non est sanata: derelinquamus eam.] Vt sit m
xima omnium illa comminatio, quam intulit in
rore suo per Ezechielem 16. Requiescet indign
tio mea in te, & auferatur zelus meus à te, & qu
scam, nec irascar amplius.] Vnde & deducta v
gata illa antiquorum ore sententia, à priscis
iam gentilibus tamquam axioma recepta. Sen
de diuin. pro. cap. 4. ex Demetrio.) Nihil
se infelicius felicitate peccantium,) ab antiquis
iam Christianæ religionis (epistol. 53. Orig. in F
riarc. Hieron.) tractatoribus pariter vsurpata. A
terum vero totum misericors & peccantibus m
ximè vtile: nempe, vt qui in conflatorio Eccle
sancto pióque, ipsorum repugnante malitia, & a
uersante proteruia, mundari non meruerunt, in
liam longe ardentiorem, manibus hostium præp
ratam, incensámque hostilibus flammis fornace
comburendi mittantur, (vt factū est populo Iuda
rum, cùm eorum ciuitas cū templo in direptione
cōbustionem, & desolationē, ipsi autem dati sunt

cap

captiuitatem Assyriorum, ad quos ista declamauerat iussu Domini Propheta sanctus: Ezech. 22. Eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem, vt succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescam: & conflabo vos: & congregabo vos & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius, &c.] quæ hæc & alia ibi posita immensa mala! quæ tamen & exoptanda magis fuerint, quam relinqui miseros obstinate peccantes, maiori ira Dei in æternum plectendos.

At quid profuit, quod tu, confringens iugum Domini,& rumpens vincula ipsius,dixisti:Ierem.1. Non seruiam?] cum ista conuertantur in damnum tuum, sicut populo illi, qui ligneas confringens catenas, expertus est ferreas. Ibid. 28. Sic (inquiens Dominus)malitia tua(Ierem.2.)arguet te,& auersio tua increpabit te, & scito, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.] Vis scire quam malum? ex verbis Domini facile est subducere rationem,Qui contestatus,ne vel vnus ex pusillis qui in eum crederent, contemni deberet, est comminatus supplicium quam acerbissimum in eum, qui scandalizauerit(Matth.18.)vnum de pusillis: adeo vt ne in illud incurreret, expediret potius, vt suspenderetur mola asinaria de collo eius, & demergeretur in profundum maris. Quæ,rogo,pœna manebit peccantem in maximum, si ita horrenda atq; terribilis teneat eum, qui peccauerit in pusillum? vnde merito tunc illud Dominus exclamauit: Væ mundo à scandalis.

Vis adhuc scire quam amarum?Prophetica velu-

ti in te conuersa oracula intuere. Est namque sermo Dei gladius vtraque parte acutus ad feriendum, Apocal.1. sicuti anteriora, etiam posteriora; vt vbi par culpa, par feriat quoque vindicta. Ieremiam itaque (Ier.51.) audi & pauesce dicentem: Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ:] Præcisam namque te pedali præcisione à trunco per excommunicationis sententiam constat. Posthac bona quænam speranda?& mala quæ non timenda?à radice præciso ramo quis vlterius viror? Radix est námque, ex sententia Cypriani epist. 5. ipsa Romana Ecclesia, quæ plurimo germine se diffundens in arborem, in Catholicam crescat, è qua si præciditur ramus, arescit ad ignem. Ipsa quippe omnium in terra mater, vt Deus in cœlo Pater. Adeo vt eiusdem sententia Martyris, habere non possit Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem:] (Idem de Vnit. Eccl. Cath.) Romanam intelligens, dum ait, quod in Petro vna Christi Ecclesia, vna Cathedra demonstratur. Vides igitur quam amarum, præcisam te ab Ecclesia, præcisam esse pariter à Domino Deo tuo? Hæc vero damna vestra duplicantur mensura conferta & coagitata, si non sentitis ea vestra colla prementia; sed si contemnitis, centuplicantur ipsa, immo crescunt in infinitum quæ tanta mala vt caueatis, hortamur, rogamus magis, & exoramus.

Sed quoniam vos, vt olim auersatrix Israel incredibili aduersus Deum contendens pertinacia, adhuc insane dicebat: Ierem.2.3. Absque peccato, & innocens ego sum. cum Deus ad eam: Ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccaui] vos inquam, excusantes excusationes in peccatis, immo defen-

defendentes, & redarguentes qui iuste redarguunt, Deo pugnaciter & Ecclesiæ restitistis prouoco vos ad prima Christianæ Fidei rudimenta, immo ad ipsius Naturæ cunabula, à quibus aberrantes, per deuia ferri, inferríque in abrupta præcipitia sit necesse.

Iure namque diuino atque humano sacra à profanis esse debere distincta, & diuersæ censeri penitus rationis, norunt omnes; adeo vt de his nulla dubitatio esse possit. Sacra autem quam illæsa voluerit Deus in sua Ecclesia conseruari, cum plurima suppeditant ex diuinis Scripturis exempla, vnum vel alterum tãtummodo referemus, vt sic breuiter caussam absoluamus. Quo enim ista cuique hominum magis paterent ad sensum, voluit Deus altissimi parietis interstitio sacras ædes à profanis esse in tẽplo diuisas, vsque adeo, vt nequaquam Regibus liceret illum à Deo constitutum terminum transilire, sed neque eidem appropinquare absque numinis offensa grauissima. Hinc vehemens illa querela Domini in Ezechiele 43. aduersus Reges Iuda: Fabricati sunt, inquit, limen suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos (& murus erat inter me & eos) & polluerunt nomen sanctũ meum, &c. Si igitur non licuit Regibus appropinquasse termino præstituto inter sacra atque profana; quomodo in eum irrumpere, & suos intra sacra septa erigere parietes licuisset? ita plane erudiens Principes, longe diuersa esse inter se iura templorum, atque regnorum. Quód omnibus considerandum proponi volens Deus, sic alloquitur Ezechielem: Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum; & cõfundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabri-

cam, & erubeſcant quæ fecerunt. Ita plane fiet, vt & vos iſta metiẽtes,erubeſcatis; vnde & magis pœniteat,non ſolũ limen & poſtes iuxta ſacrum parietem extruxiſſe,ſed ſacrum diſſipaſſe,& veſtrum erexiſſe,dum quæ ſunt Eccleſiæ iura peruaſiſtis. quamobrem in vos illud accipite dictum ab Iſaia 30. Erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo,quoniam ſubito, dum nõ ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida; & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Sed ne fiant iſta,hortamur, anteuertite precibus & pœnitentia.

Hæc de muro ex veteri Teſtamento,quæ in figura contingebant illis, in Nouum transferenda eſſe ſpirituali ſenſu monemur,ſed latiori menſura. Etenim in Chriſti Eccleſia non murum vnum tantummodo diuidentem inter ſacra atque profana poſitum eſſe ſcimus, ſed murum & antemurale, vt cecinit ſuo cantico Iſaias, dicens: Ibid.26. Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas,& ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem, nõ autem profanans ſacra, diuina conculcans, temerans ſancta,& diſſipans Sanctuarium,quę cum intus fuerit, iubetur proiici ab Eccleſia, ſecũdum illud Apocalypſis 22. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.] In quorum ſortem coniicit idem Iſaias Iſ.10. qui leges iniquas ſtatuunt, dicens: Væ qui condunt leges iniquas;& ſcribentes,iniuſtitiam ſcripſerunt. Quid facietis in die viſitationis,& calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxi-

auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis?] hæc tanta mala aggregata audiuimus, exigente diuina vindicta, in cōdentes leges iniquas. Sed quid si addatur, præscribi eas & non subditis? plane tyrānicum esse, vno omnes ore clamabunt. Et si apponatur, & sacris? no nen sacrilegorum non effugient. Quod tantum crimen mox præcipuum sensit Petrum vltorem, Acto. 5. cui non satis visum in vltionem facinoris eiusmodi delinquentes sententia anathematis ab Ecclesia separare; sed in terrorem credentium voluit eos interfecisse spiritu oris sui, ita horribili delinquentium pœna sanciens in Ecclesia disciplinam, ne dicata semel saltem mentis proposito dona Deo, quis impiè auderet attingere. Quod plane eo redditur execrabilius scelus, si lege firmetur, vt iure fieri videatur, quod cōtra ius diuinum etiam vsurpatur. Stent igitur altissimi iidémque fortissimi diuidentes sacra à profanis exaltati à Christo parietes, quibus imperia sunt diuina lege distincta, vt quæ sunt Cęsaris Cęsari, & quę sunt Dei Deo reddantur, Matt. 22. ne quid à Principibus aduersus personas Deo dicatas, vel bona eidem oblata, aut iura ipsi debita vendicetur.

In quibus attendite quotupliciter deliquistis, cum primo leges sancieritis in non vobis subditos homines Deo sacros; deinde quod tuleritis eas aduersus loca sacra, & res sacras, nempe bona Deo dicata; ac quod denique iura sacra, vt vestra statueretis, penitus euerteritis, & quidem non sine magno periculo lædendæ Catholicæ Fidei, in confundendo, immo euertendo ordinem hierarchicum, à Deo in ipsa Ecclesia Catholica antiquitus institutū, à Chri-

.312 x260.

sto confirmatum, prædicatum ab Apostolis, asse-
tum in Conciliis, roboratum traditione, cultúq
receptum ab omnibus orthodoxis Principibus,
aliis cunctis inferioris ordinis Christianis. Quæ
nim(inquit Apostolus)Rom.13.sunt à Deo,ordin
ta sunt. interuertitur quidem ordo hierarchicus
quæ sunt alterius,alter sibi perperam sumat.De h
iusmodi enim idem Apostolus, Ibid. 10. qui fix
terminos sacros transgrediuntur,hæc ait: Ignora
tes enim iustitiam Dei,& suam quærentes statue
iustitiæ Dei non sunt subiecti, vtpote redditi ma
opere iniustissimi.

Quid igitur vobis arrogatis de iuribus eccles
sticis sancire leges, easdémque aduersarias legib
ecclesiasticis, quandoquidem laicis inconcessum
etiam proficuas præscribere de his leges? Aud
quid in Romano Concilio sub Simplicio Papa fu
rit actitatum,vbi agens Basilius vicem Odoacri R
gis, legem tulit de non alienandis bonis ecclesias
cis:cui vos contrariam promulgatis,vt alienari o
nino debeant. Intercessit enim tunc Maximus B
ranus Episcopus,qui conuersus ad sanctam Syno
dixit: De me licuit laico legem dare? Respond
sancta Synodus dixit: Non licuit: & recitata in
nodo ipsa lege, hæc de ea Eulalius Episcopus Sy
cusanus: Scriptura, quæ in sacro Concilio est re
tata,nempe constitutio de non alienandis bonis
clesiasticis, euidentissimis documentis constat
inualida. Primum, quod contra Patrum regul
laicis,quamuis religiosis,quibus nulla de ecclesia
cis facultatibus aliquid disponendi legitur vnqu
attributa facultas, videtur. Deinde, quod nul
Præsulis Apostolicæ Sedis scriptione firmetur,
Si i

Si istas neruosas adeo antiqui Patres nostri in Romano Concilio aduersus laicos legislatores dixere sententias; tolerabimus nos latas à vobis leges iniustas, atque damnosas, bona ecclesiastica dissipantes? cùm latas à Regibus pro eorundem conseruatione proficuas, ea tantum ratione; quod non esset laicorum præscribere sacerdotibus leges, Patres cōtinuo abrogarunt.

Quam autem fuerint cauti posteriores orthodoxi Imperatores Occidentales, ne quid inconsulto Romano Pontifice statuerent in Ecclesia, etiamsi pro Ecclesiâ: deducantur in exemplum vertices illi sæcularis potentiæ, toto orbe conspicui, Christianissimi Imperatores Carolus Magnus; & Ludouicus Pius, qui summa religione colligentes in vnum diligentia sanctorum monachorum leges ecclesiasticas suis admixtas: nonnisi eas prius recognitas ab Episcopis, probatas vero ab Ecclesiæ Romanæ Pōtificibus, edere præsumpserunt; prout ex eorundem præfationibus constat. Qui plane nihil antiquius semper habuerunt, quàm ecclesiasticam libertatem, in primis vero auctoritatem primatiam Romanæ Ecclesiæ sartam tectam posteritati mandare. Hinc illud apud eos: Capitul.lib.7.c.265.267. Constitutiones contra canones & decreta Præsulum Romanorum, seu reliquorum Pontificum, vel bonos mores, nullius sint momenti. & inferius de auctoritate Papę super omnes Episcopos: Lib.5.c.33. Cū prouincialis Synodus retractetur per Vicarios Vrbis Romæ Episcopi, si ipse decreuerit. Quod si quid criminosum per clericos committi contingeret; quid in eos agendum, censet Carolus cum Episcopis Lib.7. ep.187. Romanum Pontificem consulendū. itidem,

ne quid graue, inconſulto Romano Pontifice ageretur:&, Si maiores cauſæ in medio fuerint deuolutæ:ad Sedem Apoſtolicam (vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit) incunctanter referantur. Si hæc ergo, quæ in fauorem Eccleſiæ ſancita eſſent, non abſque cõfirmatione ſummi Patris Romani Pontificis edere præſumpſerunt Imperatores Chriſtianiſſimi: qua frõte alij, quorúmve exemplo, niſi Iuliani Apoſtatæ, vel aliorum tyrannorum, aduerſarias ſanctæ Eccleſiæ iuribus leges ſcribunt, & promulgant? Audite poſt alios ex Ioanne Damaſceno, de imag. orat. 2. quorumnam ſit iura eccleſiaſtica condere, cum poſt multa de eodẽ argumento tractata ſubiicit iſta: Regum eſt ciuilis adminiſtratio; eccleſiaſtica vero conſtitutio paſtorum atq; doctorum. & inferius: Non ſuſcipio Regem ſibi ſacerdotium per tyrannidem vendicantem:& poſt enumeratos Imperatores Orientales tyrannice rem agentes, ſubdit: Non regiis regulis, ſed Patrum inſtitutis tam ſcriptis, quàm nõ ſcriptis Eccleſiam cenſeo conſtitui, & gubernari debere.

Sed audite optimi Imperatoris Baſilij Macedonis verba, & exempla imitamini, ita in Octaua Synodo œcumenica Catholicos laicos alloquẽtis: De vobis autẽ laicis, tam qui in dignitatibus, quã qui abſolute conuerſamini, quid amplius dicã, quam quia nullo modo nobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonẽ mouere, neq; penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hos. n. inueſtigare & quærere, Patriarcharũ, Põtificũ, & Sacerdotũ eſt, qui regiminis officiũ ſortiti ſũt, qui ſanctificãdi, qui ſoluendi & ligãdi poteſtatem habẽt, qui eccleſiaſticas & cœleſtes adepti ſunt claues: non noſtrũ qui paſci debe-

debemus, qui sanctificari, hoc est benedici, qui ligari, vel à ligaméto solui egemus. Quantæcũque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiã si vniuersa virtute intus polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursus Episcopus quantacũque sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbũ recte prædicauerit, pastoris vocationis & dignitatis damna nõ patitur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ouium cõstitutis pastores verborũ subtilitate discutiẽdi, & ea quæ super nos sunt, quærẽdi, & ambiendi? Oportet ergo nos cum timore & fide sincera hos audire, & facies eorũ vereri, cũ sint ministri Domini omnipotẽtis, & huius formã possideant, & nihil amplius, quã quę nostri ordinis sunt, requirere. Nũc autẽ, vt videmus, adeo multos malitia in insaniam accendit, vt obliuiscentes proprij ordinis, & quod pedes sint, minime cogitãtes, legẽ ponere velint oculis, non vt natura se habet. & inferius: Itaque moneo & exhortor omnes qui tales sunt, vt maledictum & alternum odium auertentes, & iudicare iudices desinant, attendant sibi, & secundũ diuinam voluntatem, cõuersari contendant. Nam nõ quiescit supremum iudicium, sed contra diffidentes diuinus furor stillabit, & iustam vltionem opere cunctis ostẽdet. Hæc Basilius. Quæ paulo fusius ad verbũ retulisse voluimus, vt tãti Imperatoris exemplo intelligatis, quam reuerentiam & obedientiam rebus ac personis ecclesiasticis exhibere debeatis. Sed alia innumerabilia eáque clarissima in hoc genere exempla breuitatis causa recensere prætermittimus.

Est autẽ illud omnino falsum, quod ad peccati excusationẽ affertis; id ipsum scilicet factitatũ à vestris

anteceſſoribus, qui ſe nemini ſubiicientes, quod proficuum Reipublicæ videretur, hoc ſtatuerent. At ſecus quidem illi, qui quod ſibi ſcirent legibus eccleſiaſticis inconceſſum, nequaquam audebãt decernere ſuis legibus, ſed extorquendum putabãt per Patriarcham, quod negandum ſibi ſcirent à Romano Pontifice. In hoc ſane vobis modeſtiores, quod non auderent condere leges de his, quæ noſſent ad forum eccleſiaſticum pertinere. Vt hæc autem euidentiori percipiatis exemplo, cum plures extent de his literæ, vnæ illæ, quæ & breuiores, recitandæ bis erunt Innocentij Papæ III. datæ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ciuem Venetũ, nuper creatum, cum ab iiſdem Venetis ſimúlque Gallis ipſa Conſtantinopolitana ciuitas eſt capta anno Salutis milleſimo duceteſimo quarto. Sic enim ſe habent, vti leguntur in codice Actorum eiuſdem Pontificis: qui ita incipit à miniſterio ſibi à Deo credito in regimine vniuerſalis Eccleſiæ:

Adhoc (inquit) Deus Apoſtolicæ Sedis antiſtitem, qui plenitudinem habet eccleſiaſticæ poteſtatis, ſuper (Ierem. 1.) gentes & regna conſtituit, vt iuxta verbum Propheticum euellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, quæ in agro Dominico tuæ culturæ commiſſo inutilia reperit & nocius, iuxta quod alibi ſibi præcipitur à Domino per Prophetã: (Iſai. 58.) Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Nos igitur attendentes iuramentum illud, quia prorſus illicitum, non eſſe ſeruandũ, quod à te Venetis cõſtituto fuit à Venetis violenter exortũ, ſicut tua nobis inſinuatio patefecit (vt videlicet neminẽ ſis facturus Canonicũ in Eccleſia ſanctæ Sophiæ niſi Venetę nationis, vel qui cõtinue

per

per decennium Venetiis habitasset: quódque bona fide, modis omnibus, quibus poteris, laborabis, vt semper in ecclesia sanctę Sophię sit de Venetiis Patriarcha, saluis tamen in omnibus Apostolicæ Sedis iure, auctoritate, reuerētia, & honore. licet hæc conditio staret adiecta, vt nō sit in scriptis redacta) præsentiū tibi auctoritate mandamus, & in virtute Spiritus sancti districte præcipimus quatenus iuramētū illud nequaquā obserues cū Sanctuariū Dei non sit hereditario iure ab aliquibus possidēdum, sed in omni gente, qui facit iustitiam, acceptus est Domino: præcauens diligenter, ne post hoc Apostolicæ Sedis præceptum in præmissis articulis iterū delinquas. Qui si de cetero solos Venetos in ecclesia sanctæ Sophiæ Canonicos institueris, aut ad hoc impēderis operā qualēcumq;, vt semper in eadē ecclesia sit Venetus Patriarcha, in ipsa nō ponēdo Canonicū, nisi iuret, quod nūquā aliū de Venetiis eliget, aut recipiet Patriarchā: nulla deinceps ratione super his poteris excusari. Sed nec illud obserues, quod absq; iuramēto diceris promisisse, vt neminem Archiepiscopū pręter Venetū in tota facies Romania. Ne vero pretextu iurationis canonicę, aut cuiuscūq; promissionis obtētu talia de cętero pręsumātur, aut si præsumpta sint obseruētur: nos obligationes huiusmodi auctoritate Apostolica irritamus, sub interpositione anathematis prohibentes, nè quis ea obseruare præsumat: tibiq; præcipimus, vt id Canonicis sanctæ Sophiæ nō solū instituas, sed etiā instituendo caute denūties, quatenus hoc nefas valeant euitare. Licet autem plus debueris Dominū timere, quàm homines, ne iurares aliquid propter homines contra Deum: si tamen in illo iuramēto per vim &

metum extorto præſcriptam adhibuiſti cautelam, vt iuraueris, ſaluo in omnibus Apoſtolicæ Sedis iure, auctoritate, reuerentia, & honore: nos tibi delictum humiliter confitenti ex ſpeciali gratia indulgemus, vt huiuſmodi iuramentum nullum tibi poſſit præiudicium generare, dummodo præceptum, quod ſalubiter tibi facimus, ad ſaluandum ius, auctoritatem, reuerentiam & honorem Apoſtolicæ Sedis, contra cuius ſtatuta, ea quæ ſunt iurata, redundant, fideliter exequaris.

Cæterum & ſi præſcripta nobis à tuis Nuntiis ſecreto fuerint annuntiata: noueris tamen pro certo, quod quædam eorum certa relatione prius fuerant noſtris auribus patefacta.] Hactenus litteræ Innocentij, quibus etſi non laudanda de maioribus veſtris annuntiantur vobis, eos tamen reuerentiores fuiſſe, vt qui non auſi fuerint, vt vos facitis, de clericis leges ſancire, ſatis apparet. Nouerit ex iiſdem pariter, haud adeo nouum, vt inſurgant Romani Pontifices vindices aduerſus veſtros pro tuenda libertate eccleſiaſtica, ita quidem Innocentius.

Qui & ſi adeo redarguit Patriarchā pœnitentem, ad Romanā Eccleſiam ſupplicē confugientem, qua reprehenſione, quibus cōminationibus & cenſuris exagitaſſet veſtros Præſules, quos nō dixerim Epiſcopos tāto nomine indignos, ſed mercenarios, immo nec hoc nomine honeſtandos, cum nec ſibi fuga, vt aſſolent mercenarij, cōſuluerint, ſed lupos potius nominandos, qui ſe lupo venienti cōiunxerint, atque in gregis totius internecionem miſcuerint. Quod nolim cōtumeliæ loco dictū accipiant: mendax arguat, niſi hoc ipſum Euangelica auctoritate conſtiterit; nam cum præſtent ipſi, quod luporū eſt, lupos

lupos dici debere non renuant: est nãque luporum oues dispergere, vt testatur Euangelista: (Ioan.10.) omnes autem schismaticos dispergere. Christi Iesu sententia illa firmatur, qua inquit:(Luc.11.)Qui non est mecũ, contra me est;& qui nõ colligit mecũ, dispergit.] Quod iure in eius Vicariũ transferatur, vt dispergere æque dicatur omnis, qui nõ colligit cum Romano Põtifice. nã audi Catholicæ Ecclesię tubã, S. Hieronymũ,(ep.57.) scribentẽ ad Damasum Romanũ Pontificẽ: Quicumq; tecũ nõ colligit, spargit. hoc est: Qui Christi non est, Antichristi est.]Pastorum vero est, Christo collaborare, pro eius grege ex aduerso consurgere, Principibus plus æquo sibi sumentibus sacerdotali vigore resistere, constantia infracta reprehendere. quod & nauiter ab aliis omnibus Romanis Pontificibus actitatum scimus aduersus quoscumque Principes: vt continuo insurgerent legum Principum abrogatores vel correctores. Vt fecisse (Greg.lib.2.ep.62.& lib.7. ep.10.) S. Gregorius inuenitur, qui legem Mauritij Imperatoris, cogentem ad militiam monachos, nonnisi emendatam promulgandam curauit. Præstiterunt & hoc ipsum alij inferiorum ecclesiarum Episcopi, & inter alios (Ambros.ep 32.33. vet.edit. S. Ambrosius acerrimus vindex ecclesiasticæ libertatis, ne inuaderetur ea aliquatenus à laicis, quãuis Imperatoribus orbis dominis. Qui & legem trium Augustorum aduersariam ecclesiasticæ libertati Mediolani tunc promulgatam reuocari coegit, (Cod. Theod. lib. 27. de epis.)& edi omni errore purgatam.

Sed quid singulos memorẽ? iã ex sacro œcumenico Cõcilio inferam⁹ hic testimoniũ; ne quid Principes

suis legibus sibi arrogent contra leges ecclesiasticas. In sacrosan. Chalcedonensi Concilio cum causa Episcoporum ageretur, Eusthathius Beryti Episcopus sic compellauit iudices cognitores: Num secundum canones ecclesiasticos, an secundum leges Imperatoris, causa dirimenda esset? Tunc iidem interlocuti iudices, ista dixere: Sacratissimo domino orbis placuit, non iuxta sacras Imperatoris litteras & pragmaticos, res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed secundum canones à S. Patribus datos. Omni igitur cessante è sacris pragmaticis definitione, canones de hoc capitulo editi legantur.] hæc iudices cognitores, qui ad S. Synodum conuersi, hoc ipsum rogarunt, Vtrum ei placeat ex regulis Patrum huius causæ quæstionem examinari: an ex sacris pragmaticis? sancta Synodus dixit: Contra canones nihil pragmaticum valebit, regulæ Patrum teneant.] hæc ibi, atque modo satis de his quæ generatim spectant ad leges Principum, latas de rebus atque personis ecclesiasticis. Nunc autem speciatim (vt cominus rem agamus) descendamus ad eas quas vos sanxistis aduersus ecclesiasticam libertatem, quarum causa ab Ecclesia Catholica sententia excommunicationis iustissime excisi estis.

Redarguimini in primis litteris Apostolicis sanxisse legē, qua cauetur, ne personæ ecclesiasticę sæculares & regulares in bonis Ecclesiasticis à laicis possessis sub quouis titulo, aut colore, iure prælationis, seu consolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ, aut alia quauis causa bonorum prædictorum proprietatem sibi vendicare vllo vnquam tempore possint. Hoc est decretum in consilio vestro firmatum, quo iura humana pariter ac diuina

diuina subuertere nitimini. nam cum & prædones ab iniusta possessione exturbare sit vetitum, quomodo Christo ius acquisitum tollere prævaletis? Verum caput hoc ad emphyteuses spectans superfluum fuerit attigisse, eo quod à vobis veluti causa cadentibus, in vestris est literis prætermissum, iam euicta causa vestro silentio: & quidem prudenter à male cœptis desistentibus, manus dantibus. Quod si in reliquis id ipsum præstitissetis, vere sapientium specimen numquam obliuione delendum posteris edidissetis, quibus tantopere frustra laboratis præscribere leges Deo penitus aduersarias.

Exagitamini insuper litteris Apostolicis, per vos statutum, Ne quis ecclesias, monasteria, hospitalia, atque alias religiosas domos Venetiis, & vbique locorum dominio vestro subiectorum, sine vestra speciali licentia fundet & erigat. Quā autem contra ius, fasque id præsumpseritis, quæ dicturi sumus, vos commonebunt. Clamat S. Ambrosius, (Amb. ep.33.) cum vel vnam saltem ecclesiam in amplissima Mediolanensi ciuitate, Valentinianus orthodoxus Imperator exposceret, & in negatam irrumperet: inquiens; Domum priuati nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam? allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Noli te grauare, imperator, vt putes in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: (Matth. 22.) Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari, Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ, Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego vnam basilicam habere, Re-

ſpondi: Non tibi licet illam habere.] hæc S. Ambroſius ad Valentinianum orthodoxum & bene Catholicum Imperatorem, matris Iuſtinæ tamen inſtantia cauſam agentem Arianorum, qui eo quod vi ſibi vnam Eccleſiam vendicare tentauit, licet dimiſerit, cito citius expertus eſt, quod Sanctus fuerat comminatus, vt tyranni gladiis confoſſus deſierit imperare. Quod S. Ambroſius in Occidente, id ipſum præſtitit S. Ioannes Chryſoſtomus in Oriente. (Theod. hiſt. lib. 5. c. 32.) Cum Gaina tyrannus peteret dari Conſtantinopoli Eccleſiam vnam, & ad hanc concedendam Imperatori inclinaretur Arcadius: reſtitit vtrique Chryſoſtomus, Imperatori ſcilicet, quod promitteret, quod ſub iure ſuo noneſſet repoſitum; & tyranno, quod male peteret, quod non eſſet Imperatoris.

Sed non ſolum id tanti profeſſi ſunt ſacerdotes, ſed etiam ipſi modeſtiſſimi Imperatores. Nam illa Occidentalis Imperij culmina Auguſtiſſima, æque ac robore militari potentia, ſimúlque doctrina rerum ſacrarum conſpicua, Carolus & Ludouicus, cum faterētur ſuper eccleſias nullum ſibi vendicandum eſſe dominium, vere legitimi laudati ſunt Imperatores, vt qui lege ſcripta profeſſi ſunt, non tantum in Eccleſiarum conſtructione aliquod ius non eſſe conceſſum Imperatoribus, ſed neque abſque Epiſcopi licentia domi ſuæ Oratorij conſtruendi habere aliquam facultatem: quod probe cognitum pragmatica ſanctione ita relinquere voluere teſtatum, his verbis, (Lib. 5. c. 182.) Placuit nobis, vt (ſicut ab Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus ac Dei ſeruis admoniti fuimus) ne capellæ in noſtro palatio, vel alicubi ſine permiſſu Epiſcopi, in cuius eſt

paro-

parochia, fiant.) Si igitur nec capellam vnam & in suo palatio ædificandi absque licentia Episcopi tanti Imperatores facultatem se habere testati sunt; quomodo ædificandi ecclesias, & alia religiosa loca dandi licentiam, vel negandi, vos ita vobis arrogatis auctoritatem?

Verum habetis vos, quo magnopere gloriemini, habetis quem ostendatis vestræ legis auctorem Nicephorum Phocam Constantinopolitanum Imperat. qui reperitur vestræ similem condidisse legem, quam ob eius turpitudinem oportuit promulgasse elegantioribus fucatam coloribus. Ac plane talem vos imitatos esse hominem, est vt ex hoc magnopere erubescatis, vtpote monstruosum, fœdum, tam Græcorum quam Latinorum historicorum, & Luitprandi Episcopi Cremonensis apud eũ legatione perfuncti, stylo exagitatũ, & ad summã turpitudinem denigratum, atque infamissimè deformatum. Huius Imperatoris, inquam, de his constitutio extat, sed decurtata apud Theodorum Balsamonem, integra vero in codice Iuris Græcorum, libro secundo Nouellarum constitutionum Imperatorum, quam ob nimiam, deformem, & execrabilem prolixitatem hic describere prætermisimus. consulat ipse Lector, si libet, eximiæ turpitudinis monimentum, sed è Græcorum fontibus per vos tamquam à Solone atque Lycurgo depromptum: quam quidem tot coloratam fucis sanctionem quis ipso primo eius intuitu, meretricio deceptus ornatu contẽnendã esse putarit? Sed mala quæ secũ plurima vexit, prudentiorẽ successorẽ reddidit Imperatorẽ. Vtpote quæ primum quidem auctori suo peperit clades immensas, parauerit Imperiũ funestissimum, & tandem eidem attulerit mortem acerbissimam.

Sed nec finis malorum in nece promulgatoris, verum quandiu factio illa, nō ſancta,ſed impia viguit (quod fuit ſpatium annorum vigintitrium) vigens iugiter ipſa fuerit peſtis totius Imperij, quod diſertis verbis teſtatus eſt,qui;eam abrogauit Baſilius iunior Imperator,cuius conſtitutio à Theodoro Balſamone ſic breuiter recitatur.

Diuinitus conſtituta maieſtas noſtra, cùm & à monachis, quorum teſtata pietas ac virtus eſt, & aliis multis cognouerit, legem à domino Nicephoro vſurpatore Imperij de eccleſiis Dei, religioſiſque domibus latam cum præſentium malorum, tum vniuerſalis huius ſubuerſionis atque confuſionis cauſam & radicem extitiſſe, velut non ad iniuriā contumeliámque duntaxat eccleſiarū & religioſarū domuum,ſed ipſius quoque Dei cōditam; cumque adeo re ipſa ſic comparatum id eſſe compererit (nam ex quo lex iſta robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem ætatis noſtræ contigit,ſed potius è contrario nullum omnino genus calamitatis intermiſit (ſtatuit per religioſam hanc auream bullam, cui ſubſcripſit, legem illam prius latam ab hoc præſenti die ceſſare debere, ac deinceps irritam,nulliúſque momenti manere :conditis ante ipſam legibus, tam de Eccleſiis Dei, quàm religioſis domibus vim & robur ſuum obtinentibus,quas & illuſtris auus maieſtatis noſtræ,& pater eiuſdem & abauus optimè ac religioſiſſimè promulgarunt. Vtque ſancta & immutabilis eſſet hæc conſtitutio: propria manu ſubnotatā,aureo quoque ſigillo ſignificari iuſſimus mēſe Aprilis,die quarta, Indictione prima,anno ab origine mundi ſex milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto.] eſt

annus

annus salutis nongentesimus octogesimus septimus. Augistis, maioris fuisse auctoritatis apud Imperator. Basilium aliquot monachos petentes ab eo legis sacrilegæ abrogationem, quam apud vos summam dignitatem tanti Pontificis, id sæpius litteris rogantis, & comminationibus postulantis? To leraturus ergo ne ipse erat id genus legis vestræ, quę etsi non aliunde, ex sui antiqua origine magnam secum afferret infamiam: quam etiam vt omnium malorum fontem successor pius Imperat. obstruxit?

Vultis & de his in Occidentalibus oris exemplum audire lugubre, historiam audire tetram, quanta secum attulit damna vna edita ab Imperatore sanctio aduersaria ecclesiasticæ libertati? Audire breuiter, quæ malorum atrocitate longiori ambitu circumducenda esset oratio. Valentinianus (Nouell. Valent. tit. 12. de Episc. iudicio 10.) eius nominis nouissimus Imperator, an. Redemptoris 452. vbi post prostratum an. superiori in Galliis Attilam, legem illam ignominiosissimam tulit, qua ecclesiasticum tribunal penitus tolleretur: mox secundum illud Danielis: (Dan. 8.) Datum est illi robur propter peccata,]eiusdem Attilæ excisa potentia adeo rursum viruit & refloruit, vt eodem anno exciderit Aquileiam, aliásque Galliæ cisalpinæ nobilissimas ciuitates attriuerit, & nisi obicem passus esset Romanum Pontificem S. Leonem, eius semel accensa flamma vniuersa Italia conflagrasset. Ita plane euidenti fuit demonstratum exemplo, nihil aliud fuisse, præscripsisse Imperatorem leges contra ecclesiastica iura, quam hostes erigere iam bello prostratos in exterminium totius Imperij, quòd paulo

ante fuerat victoriis clarissimis illustratum. Nam & post eandem latam legem, aliis & his maioribus, fuit cladibus labefactatum, Vrbe ipsa à Genserico capta: nec desiere mala, quousque pessima illa, fons malorum omnium, lex permansit. Auditis quæ Oriens, quæ & Occidens clament de sanctionibus aduersus Ecclesiæ iura editis, tunc nimirum ruere Imperium, cum ipsæ vigeant. Et vos qui ex Aquileiæ cineribus orti estis: cauete ne ex eadem causa in cineres reuertamini.

Iam transeamus ad aliam legem per vos male sancitam de non relinquendis ecclesiis, vel personis ecclesiasticis bonis, immobilibus absque Senatus vestri licentia, cuius causa etiam commeruistis excommunicatione percelli. Ita plane vos estis in iis secuti eundem execrandum Nicephorum Imperatorem, in cuius constitutione verba ista legistis: Itaque ab hoc tempore nemini liceat nec fundos, nec agros, nec loca, monasteriis, aut gerocomiis, aut xenonibus quomodocumque transmittere, adeóque nec alicui metropoli, vel Episcopatui &c.] quam legem vt Imperio damnosissimam, vt audistis, Basilius Imperator summam detestatione penitus abrogauit. Cuius vel tantum originem ostendisse, confutasse est, & abrogationem apposuisse, est exposuisse palam opprobrio. At scimus pariter, & antiquitus vetitum legibus Imperatorum, ne quid caperent clerici testamento viduarũ. Reperitur enim Valentinianus vna cum Valente & Gratiano Imperatoribus. (Lib. 2. de Episc. & cleri. in C. Theod.) sanxisse eiusmodi legem, sed tamen non sine Damasi Papæ conniuentia, ad cohibendum scandalum & auaritiam clericorum, per (S. Hieronymum ep. 2. 3. 22.) sæpe

22.)sæpe declamatam,& per(S. Ambros. ep.31.32. & serm.7.)deploratam.Sed eam (Marcianus Nouell. 5.) Imperator amplissime reuocauit , cum capta Vrbs esset à Vuandalis,quasi ob iniquas leges Imperatorum tanta clades ab irato numine inferretur.Illud demum sic habeto(ne in his diutius immoremur) nullam hactenus promulgatam fuisse legem,eámque publicis tabulis indictam ad communem populi vsum,quæ contra iura ecclesiæ esset, quin fuerit contrariis legibus abrogata. Stabunt ne vestræ?cum scriptum sit:(Matth.15.)Omnis plantatio,quam non plantauit Pater meus, eradicabitur:] minime gentium.Vel stare non poterunt quæ ædificatæ sunt supra(Luc.6.) petram leges ecclesiasticæ,super verbum Domini,ipso cœlo etiam firmiores?siquidem scriptum est:(Matth.24.) Cœlum & terra transibunt,verba autem mea nō preteribunt?] Stabunt,stabunt,inquam,(Idem 16.)verbo Domini consolidatæ , eo quod nec portæ inferi præualebunt aduersus eas.Porro per inferi portas interpretati sunt plures sanctorum Patrum , potentiam sæcularem Principum iniquorum.

His pro litteris Apostolicis præmissis , iam vestras atque primum illas ad Ecclesiarum Præsules à Duce datas inspiciamus.Quis existimare potuisset, tantum Ducem tot tantorúmque beneficiorum recens à Sede Apostolica perceptorum adeo profunda teneri potuisse obliuione , quorum saltem vinculis contineri in officio debuisset , ne adeo ab ipsa pertinaciter resiliret?Recēs memoria est,cū vobis oppressis tyrannide Ottomannica , iacturam passis insulæ Cypri,amissuris proxime Cretam,inhiante tyranno ad extremā vestri dominij euersio-

nem; Sedis Apoſtolicæ Præſul ſanctiſſimus Pius Quintus ſacro fœdere ſumma potentia in ſumma difficultate diuinitus concinnato; adeo admirandæ victoriæ fuerit auctor, & retinendæ libertatis adiutor. Cuius erga vos adeo ingentis impenſæ beneficētiæ & munificæ largitatis tranſierunt onera ad ſucceſſores, relicta adeo Eccleſia obærata, vt æris alieni diſſoluendi reliqua nulla ſit ſpes, oppignoratis redditibus eccleſiarum. Cuius beneficij ſi memores, ſi grati (quod & Ethnici faciunt) fuiſſetis, quæque grauiſſima ab eadem ſancta Sede vobis impoſita perpeti potius, quàm ab ea euerſione ſchiſmatica ſcindi debuiſſetis. Audite quæ vos immenſe redarguat vere ſummo Principe digna ipſo Carolo Magno ſententia, vnà cum aliis ſacris legibus promulgata: In memoriā, inquit, beati Petri Apoſtoli (Diſt.19.c.3.) honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, vt quę nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum: tamen feramus & pia deuotione toleremus.] hæc ipſe.

Dux autem veſter, quod ad ſalutem; non ad interitum promulgatum eſt in vos de illata excommunicatione decretum, nulla ſuæ ſalutis, vel ſuorum habita ratione, mox contumaciæ plenas, contemptu refertas eas ad Præſules litteras dedit, quarum ſola memoria veſtra poſteritas ſit ſuffundenda pudore. Sed quid erit? iuxta Sapientem: Id quod fuit: (Eccleſ.10.) quod & ita ſcriptum legitur in ſacris oraculis: Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis: Radices gentium

tium superbarum arefecit Deus, & plantauit mites pro eis ex ipsis gentibus.] Quod fecit facturus est semper Deus, apud quem nulla est acceptatio personarum, vt par pari feriat vindicta delictum, nisi vincens Deum pœnitentia intercedat. Ad quam capessendam vt vos adeo resilientes reddamus procliuiores prouocandum est ad maiorum exempla, quibus innotescat quantopere minorum quoque Episcoporum sint reueriti summi Duces vtcumque latas excommunicationis sententias. Tempore Honorij Imperatoris Bonifacius Comes, dux totius exercitus tantæ erat auctoritatis, vt eius tantum nutu vniuersum Imperium contremisceret. Cum esset in Africa, atque Hippone scelestissimum hominem confugiẽtem ad Ecclesiam è liminibus raptum detrusisset in carcerem: S. Augustinus (Aug. epist. 6. in appen.) hæc audiens ad ipsum perbreues mox has litteras dedit, quibus absque alia citatione, vel commonitione præmissa, sententiam excommunicationis intorsit.

Miror quomodo tam subito fidei murum aries superit inimici. Noui enim qua religione semper sis Ecclesiam Dei veneratus. Quo instigante, frater, hominem de ecclesia rapuisti? Tuus si de tuo amico forte præsumeret fugitiuus, posset proculdubio intercessoris causa veniam promereri. Ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, Nabuchodonozor Regem intende, qui causa superbiæ in bouem est ex homine commutatus. Non vt cõfundam te, hæc scribo, sed vt filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem vt irreligiosissimum rapuisti. Oblatio vero domus tuæ à clericis nê suscipiatur

indixi, communionémque tibi interdico, donec peracta pro ausibus vel errore à me definita tibimet pœnitentia & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.] hæc ad Bonifacium Comitem Augustinus, erectus ad vltionem sceleris vigore sacerdotali. Quid ad hæc respondisse putas tantum Comitem, ducem exercitus, sic ab Augustino flagris censuræ ecclesiasticæ verberatum? Audi redditam ad eum epistolam his ipsis verbis.

Humilis saluto, quod primum est. Suscepi autem tremens sanctitatis tuæ verba verberibus plena. Scio quod veniæ præparatur, qui ab Augustino perfectissimo sacerdote corripitur: nec debet Eiscopo denegare quod voluntas facit aut casus. Ipse enim sibi denegat curam, qui suam medico non publicat causam. Hominem ergo, piissime Pater, è luminibus ecclesiæ raptum tuis sanctis aspectibus iussio mea, furórque subduxit. Alieno non sunt facta ista consilio, Dei & Sanctorum eius regimine viuo. Illum itaque virum morte dignissimum, quē (vt dixi) meus de ecclesiæ foribus furor abstraxit, vitæ tuis iussionibus donamus illæsum. Agnosco culpas, indignæ meæ lacrymæ iungantur tuis fletibus iustis, quo possit hæc nota, nigro inscripta titione, deleri. Ecclesiæ mihi introitus non negetur: illic spero veniam, vbi admisi culpam. Oblatio vero domus meæ (vt tua sanctitas iussit) ad cælestis Regis mensam eius manib. offeretur.] hæc Bonifacius, deferens in omnibus sacerdoti; sicut & Stylico sancto Ambrosio, æque petenti reddi sibi delinquentem ab altari euulsum Cresconium, qui timore percitus ob vindictam militibus diuinitus illatam, qui suo iussu sacri-

sacrilegium perpetrarant, per multos dies per pœnitentiam (vt Paulinus in vita S. Ambrosij ait) eidem S. Episcopo satisfaciendum curauit. Addimus his & tertium exemplum de Andronico Præside Pentapolis in Aegypto, qui eo quod suum edictum conuiciis plenum in ecclesia suspendisset, à Synesio Ptolemaidis Episcopo, collecta ibi Synodo, nulla prçuia citatione commonitus, terribili anathematis sententia perculsus & magistratu abdicatus, magna animi submissione pœnitentia præuia admitti ab Ecclesia, à qua exclusus fuerat, multum rogauit. hæcque cum Arcadius imperaret in Oriente.

At quid ex plurimis paucos memorẽ clarissimos præfectos prouinciarum, cum & ipsi Imperatores & Reges magnam inde sibi gloriam compararit, quod à Pontificibus perculsi sententia anathematis, haud contumaces sunt eisdem aduersati, sed obsequentes eorum mandatis, vt ex qua pulsi erant, in ecclesiam admitterentur, nihil prætermiserunt humilitatis officij, atque pœnitentiæ impositæ disciplinç, vt qui primus inter eos initiatus est Christiana religione (Euseb. hist. lib. 6. c. 27.) Philippus Augustus, Theodosius Imperat. & post alios multos, quos breuitatis causa prætermittimus recensere, qui apud vos veniam ab Alexandro Papa humili obsequio promeruit Fridericus: vnde summam peperit sibi laudem, & conciliauit honorem. Sicut è contra illi ingentem cõtraxerunt infamiam, & ignominiosum adepti sunt nomen schismaticum, aut hæreticum, qui contra stimulum calcitrãtes, reluctati sunt disciplinæ, exulantes ab Ecclesia, redditi etiam cœlestis gloriæ exheredes, excusantes excusationes in peccatis, & reiicientes culpam in Pontificis austeri-

tatem: vt fecisse reperitur, & suis ipse Dux vester testatus est litteris.

Quibus quidem primum de S.D.N. vehementer expostulans queritur, quòd missus ad eũ à se Legatus ipsius aures reperisset occlusas. At quid? Num quia exauditus non est, auditus non fuit? Hoc certè nemo negarit, cũ alioquin nec audiri meruerit, qui non obediturus aduenerat, sed contradicturus Pontifici, vt exitus declarauit, secundum illud Oseæ 4. Vnusquisque nõ iudicet, & nõ arguatur vir: populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti,] profundum id malorum esse significans, cum non obeditur, sed contradicitur sacerdoti. vbi in eãdem sententiam sanctus Hieronym. in Ose. c. 4. Nunc quia in sceleribus perseuerant, & impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt: Non est necesse, vt veniatis ad iudicium, vt in vestris flagitiis arguamini, qui tantæ estis impudentiæ, vt nec conuicti quidem pudorẽ habeatis & verecundiã.] hæc & alia S. Hieronymus. Secundũ ista & Nicolaus (ep. 27. & 55.) sanctissimus Pontifex prohibuit Lotharium Regem venire Romam ad dicendam causam, vt quod non meretur audiri, qui hactenus sæpe monitus, mandatis Pontificiis obedire contempsisset, licet promisisset sæpius, se omnibus præcepis Pontificiis pariturum. Nam in epistola ipsius (Nicolai epist. 9.) ad Ludouicum & Carolum Francorum Reges hæc post multa: Ipse quidem Lotharius nobis & vobis per Imperiales Legatos mãdauit, quòd Romam vellet venire. Cui interdiximus, & omnino interdicimus vt iter talis, qualis nũc est, nõ arripiat, eo quod S. R. E. talem respuat, & cõtemnat, & in hoc perseueret, quod late in toto diffusum est orbe.] quod scilicet

vxore

vxore abiecta, pellicem introduxit. At quid æquius videri posset, quam si Rex reus suam præsentiam iudici exhiberet? Sed quia admonitionibus Pontificiis non obtemperasset: reiicitur vt indignus qui se conferat audiendus ad Apostolicum thronum. subdit demum: Quod si inquit, contra propositum nostrum forte præsumpserit venire Romam:minimè cum qua cupit honestate vel hic suscipietur, vel hinc profecto regredietur.] Quid igitur expostulat Dux missum à se Legatum occlusas reperisse Pontificis aures, cum ob spretas tot antea præcedentes admonitiones eiusdem summi Pontificis, nec ipse Dux, exemplo Lotharij Regis, admitti debuisset in vrbem ne dum ad ipsius Pontificis audientiam? Ita quidem, si tanti prædecessoris exemplo sanctitate atque scientia eminentissimi res tractanda fuisset: vt nihil sit penitus, quod queri possitis. etiam si Legatus vester nullatenus fuisset auditus. Vel si agendum fuisset exemplo Alexandri Tertij Romani Pontificis, qui Legatos Regis Angliæ missos, excusaturos Regem ipsum, quod mandatum non dedisset de inferēda nece S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo (quod reuera non fecerat) negatus est tamen illis ab ipso Papa auditus, quousque iuratoria cautione adhibita ex parte Regis promisissent, Regē ipsum omni obseruantia & obedientia subiturum iudicium in omnibus Apostolicæ Sedis, eiusdemque in omnibus sententiæ pariturum. Qua ratione neque vester Legatus admitti debuisset ad audientiam, quem sciret Pontifex non ad parendum & iurandum obedientiam, sed ad refragandum, & contradicendum à vobis missum fuisse.

Quoniam verò peculiare est malis Principibus,

qui Apostolicæ Sedis iudicium vitare conantur, aliquid excipere, quo vel saltem contemptum pariant iudicanti, vt illud maximè, quod nimia celeritate præcipitauerit sententiam, potius quam ex præscripto canonum seruato ordine iudiciario, tulerit. Fuit olim ista querela Michaelis Imperatoris aduersus eundem, de quo supra, Nicolaum Pontificē, qui redarguens ipsum ostendit, satis esse, absque aliquo seruato iuris ordine, summo Pontifici, si quomodocumque rem cōpertam habuerit, & quomodolibet delinquentes Principes cōmonuerit, & si nō parerent, absq; alio ordine iudiciario in cōtemptores vel contumaces excommunicationis sentētiam ferat: idque factitari solitū ab ipsis, si quid aduersus Principes emerserit contentionis. Adeo vt nulla possit legitima esse querela aduersus Sanctiss. D. N. Paulum V. qui in eos commonendo multus fuerit, & nihil omnino profecerit. His itaque dilutis obiectionibus, iam quæ post hæc in iisdem Ducis litteris ad Præsules subiiciantur, videamus.

Sunt plane huiusmodi, quòd ab exordio nascentis Ecclesiæ ab his qui se Catholicos profiterentur, contumaciores esse datas nullus inueniet: quippe quæ acerbissimo sint referræ contemptu. Sed quæ in execrabiles contemptores Paulus Apost. (Acto. 13.) ingerat, & vos pertingant, audire: Videte, inquit, ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis narrauerit vobis.] Nempe quod desinetis esse quod estis, dum male quæritis esse super Ecclesiam, quod efficere non potestis. De vobis namque eadem pertractantibus illud

lud diuinitus ſcriptum oraculum eſſe ſciatis:(Pſal.2.) Qui habitat in cœlis irridebit eos,& Dominus ſubſannabit eos, hi namque,vti vos, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius,nempe præſidentes ipſis Sacerdotes illa dicebant: Dirũpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.]

Quid aduerſus ſummum ſacerdotem ſibi arrogat quiſque quantumlibet ſummus Princeps? Etenim cum reuera laicus tantum ſit, ouis eſt ex grege Petri, ſeu potius ouis fœtus. Siquidem quod Chriſtus dixit,(Io.21.)ad Petrum:Paſce oues,paſce agnos: per oues rectores eccleſiarum interpretati ſunt Patres, per agnos ex eis in Chriſto genitos reliquos Chriſtianos. Audi compellantem te quiſquis es tranſgrediens terminos tuos)Apoſtolum Paulum, (Rom. 14.)& dominium tuum iuſtis limitibus adeo coarctantem,vt extra eos qui ſunt tibi ſubditi,nullam in reliquis te habere ſentias poteſtatem, vt eos iudices. Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtat,aut cadit.] Si alieni ſerui abripitur tibi Apoſtolica denuntiatione iudicium: quomodo præſumere poteris alterius fori non tibi ſubiectum ſaltem iudicare clericulum ? quomodo diaconum, vel ſacerdotem? quomodo Epiſcopum ? & (quod horrẽdum dictu quomodo tua ſententia condemnabis & non horreſces Archiepiſcoporum,vel Patriarcharum ſententias iudicare, ac denique quod & monſtrum atque portentum Luciferi eſt , dices: (Iſai.14.) In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, iudicabo iudicia Chriſti Vicarij , latas ab ipſo ſententias nullas eſſe propria denuntians auctoritate definiam, quod & feciſti. Sed ſic eleuatus certum caſum expaueſce, quĩ

ſubditur: Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci:]adeo vt magno te ſcias periculo, ſicut magno piaculo diuina tentaſſe, tribunálque diuinitus conſtitutum ſuper cœlum exaltatum, eius retractando ſententiam peruaſiſſe. Sed audi te absterrentem Apoſtolum (1. Cor. 6.) Neſcitis quia Angelos iudicabimus: quanto magis ſæcularia? Venerandum quod eſt Angelis, quomodo Principibus non reuerendum, quod contempſiſti tribunal, & contumeliis affeciſti? thronum circumſtabant Angeli vindices: (Danielis 13.) Petri Cathedram deſeret cuſtodia Angelorum vlciſcentium quidquid peccatur in eam?

Sed nulla grauior pœna peccati ipſo peccato, quo & nullum grauius impietate quam parit contemptus, & alit. Nam audi ſanctum Martyrem Cyprianum (epiſt. 65.) vbi redarguit diaconum contemnentem Epiſcopum: Hæc ſunt, inquit, initia hæreticorum, ortus atque conatus ſchiſmaticorum, male cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia reciditur, ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationem, atque vnitatem Dei rebellatur] porta igitur eſt hæc, quam aperit falſa iuſtitia, ex qua progreſſus patet in hæreſes ex contemptu, de quo alibi (idem ep. 69.) Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi? &c.]

Sed quantum te deſerat, & procul abhorreat iuſtitia

ſtitia, quam præſumis, vt omnes intelligant, quæ ſunt abs te poſita contra ſententiam Apoſtolicæ Sedis, hic reddamus: Ais imprimis, contra omnem rationis formam, litteras Apoſtolicas eſſe cōceptas, & aduerſus id quod diuina Scriptura Patrū Doctrina, & ſacri canones docent, eſſe conſcriptas. Sententiam vero excommunicationis iiſdem Apoſtolicis litteris promulgatam, non ſolùm iniuſtam eſſe, & indebitam, ſed etiam nullam, nulliuſque momenti illegitime fulminatam, nullo iuris ordine ſeruato. Iſta leguntur in illis totidem verbis expreſſa, ſed ſingula percurramus. Contra omnem rationis formam, & ſcita ſacrarum legum litteras aduerſus vos ab Apoſtolica Sede datas affirmas. Hic cogimur inuiti in memoriam reuocare, quę per vos & veſtros miniſtros perperam perpetrata, diu multúmque diſſimulata ſunt ab Apoſtolica Sede; deplorata tamen ſemper, dum nulla penitus emendatio ſequeretur: quæ, ſi ex ſacrorum præſcripto canonū res agendæ fuiſſent, guttas pluuiæ fulmina anathematis ſuperaſſent. Quot vidimus Romæ miſeros exulantes Epiſcopos, vobis ſubditis ciuitatibus præfectos, dira perſecutione vexatos, cum obrutam reuocare in lucem tentarent eccleſiaſticam libertatem? Quot clericorum inferioris ordinis perlatæ ſunt iugiter querelæ, de foro eccleſiaſtico intercepto, & expilatis bonis eccleſiarum, ſublatis iuribus, inuaſis eccleſiis, violato ſacro aſylo frequenter? Quia annuntiatus frequentior Apoſtolicarum litterarum contemptus, ipſius vero in primis Bullæ in Cœna Domini promulgari ſolitæ, violatio, & cum violatione deſpectio? Prætermittimus verba contumelioſa, ſalſa dicteria, arguta ſcommata, irriſiones

& inuectiuas, quibus iugiter exagitare consueuerũt vestri S.R.E.Clerum,isthæc iugiter perpeti assuetũ, non parcentes ei,qui Christi loco,ipsius voluntate, primarium thronum obtinet,summo Pontifici : vt pudeat nos ista referre , quæ vos inferre delectet. Hæc & alia id genus plurima sæpe ingesta, & audita frequenter sunt pacifice,& æquo animo adeo tolerata à prædecessoribus clementissimis, vt ipsis iam sua ipsorum patientia verteretur opprobrio, cum à nonnullis aduersus eos zelo Dei æstuantibus illud Dominicum iactaretur: Simon dormis(Mar. 14.)Attamen passi sunt potius insimulari torporis, quam periclitat ; in Sede Apostolica tolerantiam, expectans cum Apostolo,(2.Tim.) , si quando daret vobis Deus pœnitentiã ad cognoscendam veritatem,& resipiscentiam à laqueis diaboli.] Vbi verò cognitum est,etiam firmitate legum per vos vestra obfirmata esse peccata:haud amplius tolerantiæ tempus visum est,sed diuisionis & combustionis,dicente messoribus patrefamilias illud Euangelicum:(Matth.15.)Colligite zizania,& alligate ea in fasciculos ad comburendum.

Hic perpendite,an contra omnem rationis formam:(quod obtenditis) diuinámque Scripturam, ac doctrinam Patrum,& sacros Canones custos sacrarum legum Romanus Pontifex,post diu dissimulatum patientiæ somnum, tandem vindex euigilauerit:cum eidem omnes militent rationes , diuina aspirent oracula,Patres faueant , consentiant sacri canones,quorum vos omnium contẽptores, omni destituti sacrarum legum præsidio,in illud absurdũ impegistis;dixerim & monstruosum , vt pote hactenus à Catholicis intẽtatum , à schismaticis tantũ modo,

modo, & ab hæreticis vſurpatum, vt laici cum ſitis (quod neque ſibi Epiſcopi in Conciliis arrogarunt) pronuntiare audeatis, ipſam in vos promulgatam excommunicationis ſententiam à ſummo Pontifice eſſe iniuſtam, indebitam, nulliuſque momẽti, atque illegitimam, vtpote (quod ſubiicitis) nullo ſeruato iuris ordine latam. Vnde tanta vobis auctoritas, vt iudicetis Iudicem vniuerſorũ, quem nullum hactenus Concilium legitime congregatum auſum eſt iudicare, cum ab eo omnia œcumenica Concilia accepere auctoritatem, vt abſque eius ſententia ipſa nec œcumenica dici, aut indici potuerint; nec in eis ſanciri canones alicuius fuerint firmitatis, in quibus & frequenter ſit conclamatum: Prima Sedes à nemine iudicatur: & Pontifici dictum: Tua te ſententia purga, vel damna?] Iſta cum fuerint hactenus ſumma religione cuſtodita: quomodo laici hominis ſentẽtia labefactãtur, ac penitus infringũtur?

Quis audiens iſta, non cum (Iſai.37.) Ezechia mox illud exclamet: Blaſphemiæ dies hæc?] & ſicut ille Rabſacis literas impias attulit in templum, & expãdit eas coram Domino (4. Reg.19. 2. Paral.32.) ita quicumque fidelis, in cuius manus eædem ipſius Ducis litteræ contumaces atque proteruæ peruenerint, legeritque horrendas blaſphemias effuſas in contumeliam Apoſtolicæ Sedis, & contemptum eius, qui in ea à Chriſto per Spiritum S. magno miraculo poſitus ſedet Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius Paulus V. inferat eas in baſilicam Petri, admoueat Cõfeſſioni ipſius, ibidémq; expandens eas, illatã tantã contumeliam eius Cathedræ clamet, & deploret iniurias, ipſúmq; inuocet ſuæ ipſius, quam à Chriſto regendam accepit, Eccleſiæ defenſorem?

vltores insuper appellet sanctissimos conditores canonum, & defensores ipsorum Ecclesiæ Romanę Pontifices, & Sanctos omnes, in quorum omnium despectum præsumpta tanta abs te esse noscuntur? Qui cum adeo contempseris thronum, in quo habita ratione connexionis membrorum cum capite, ipse Christus insedit: noueris summo damno tuo in petram impegisse; de qua primum sit dictum in Psalmo: (Psal. 140.) Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.] & à Domino de eadem: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum, (Matth. 21.) ea nimirũ confractione atque contritione, de qua iam dixerat ibidem verbis illis apertissimis: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gẽti facienti fructum eius.] Petra autem ipsa, quouis impetu agitetur, verbo Domini confirmata, nullam sit vnquam passura iacturam. Vera ne sint ista, periodus millenorum ac sexcentorum annorum Christi regnantis edocet, qua innumeris impetita contrariis petra ista, ferro & igne tentata sæpissime, nullam ipsa senserit, sed plurimam intulerit lacessentibus læsionem.

Quomodo autem ausus es pronuntiare illegitimam, iniustam, ac dicere excommunicationem esse nullam, quæ auctoritate non caruerit pronuntiantis, cui nec alia necessaria defuerint ad actum legitimum conducentia: vnde omnes istæ tuæ de nullitate exceptiones necesse sit euanescere? cum inducatur pariter necessario ex præmissis, nullo pacto dici posse eandem esse sententiam excommunicationis nullam vel iniustam, sed omnibus esse consentientem Ecclesiæ iuribus, & exemplis: quam neque indebitã (vt iniquè asseris) illegitimámve (vel vt male in-

le in-

le infers) aut nullius esse momenti (vt manifestissime erras) asserere quisquam poterit, nisi cui Fides Catholica male oleat, & sit Primatus ipse Petri cõtemptui, existimétque cum hæreticis recentioribus Romanæ Ecclesiæ priuilegia non esse à Christo, sed ab Imperatoribus, cum Patres & sanctissimi martyres Irenæus, (Ir.l.3.c.3.) & Cyprianus, (Cypri.de vnit.eccles.) qui Fabiani locum, Petri locum appellat, (Idem ep.52.) Optatus Mileuitanus, (Optat. contra Par.lib.2.) sanctus Hieronymus, (Hier.ep.57.58.85.) sanctus Augustinus, (Aug.ep.165.& contr.ep.Mar.c.4.& contr.partes Donati.) Fulgentius, sanctus Leo Magnus, (Leo epi.55.89. & in homiliis frequenter.) Gelasius, Ioannes Papa & Martyr. in epistola ad Iustinianum, (C.de sum. Trinit.& Fid. cath.4.) Vigilius ad eundem, Gregorius Magnus, (Greg. M.lib. 4. ep.32.) & denique omnes, quorũ fastidio est immensum numerum recensere, omnes inquam tam Occidentales, quam Orientales confessi sint Patres, auctoritatem à Christo acceptã ad Romanos Pontifices per Petrum esse transfusam: eorumdémque omniũ vna eadémq; sit sentẽtia, Primatũ Romanæ Ecclesiæ per Petrum à Christo descendere. Vnde omnes semper negarint ipsi Romani Pontifices, præsertim vero Gelasius, Bonifacius, Nicolaus, & alij posteriores, neque per Synodos, neque per Imperatores Romanam Ecclesiam esse, quod est, caput omnium Ecclesiarum, & super omnes auctoritate pollentem: sed tantum Christi promissione, quod & omnes sunt professi successores ipsius, ac denique omnes, quotquot nomen Catholicum meruerunt: vt ista negasse, sit omnino ab Ecclesia Catholica exulasse & cum hæreticis Nouatoribus

collegisse;quorum mentis obtusæ argumenta reperies abūdāter in Annalibus Ecclesiasticis cõfutata.

Christi igitur priuilegio roborato Petri Apostolatu, eadem promissione vniuersa eiusdem est roborata successio, de qua ad Anastasium Imperatorem Gelasius post alia, de iisdem dignissime sicut iustissime prædicata:Impeti inquit, possunt humanis præsumptionibus quæ diuino sunt iudicio constituta, vinci tamē quarumlibet potestate non possunt.] præfatus hæc antea:Et si cunctis generaliter sacerdotibus, & recte diuina tractantibus Fidelium conuenit corda submitti:quanto potius Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus Diuinitas summa voluit præeminere?] Cuius despectus quanti sit criminis, inde inferas, quod etiam minimorū Episcoporū, censuris ecclesiasticis rem agentium contemptus, sic afficit contemptores, vt indignos eos reddat, ipso nomine Christiano. Nā accipe quæ Gregorius Magnus ait, (Greg.lib.9.cp.29.prope fin.) quē & citat Nicolaus Papa: (Nicol. ep. 9.) Si vero sunt qui dicunt: quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizatus fuerit,anathematis vinculo non tenetur:ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt,quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ variis existimant conatibus soluere,&c.] Quod si obtentus necessitatis nec sufficit,vt quis inualidam, vel nullam fuisse excommunicationem dicere possit,quo eam contemnat:vtique multo minus,si iniusta fuerit, sponte sua contemnere aliquis debet.

Est plane vulgata illa scriptorum omnium recepta sententia,excommunicationem siue iustam siue iniustam esse timendam, ac minime contemnendam

dam; quod velut firmiſſimum axioma eccleſiaſtica cuſtodiuit antiquitas. Vt quod iam ab omnibus vbique & ſemper probari poſſit aſſertũ, nulla prorſus habenda ſit ratio, ſi quiuis magni nominis homo his quidpiam contrarium viſus ſit aſſeruiſſe: quem penitus contemnendum eſſe, his verbis docet Vincentius Lirinenſis (Vincent. Lirin. contra hæreſ.) magnæ exiſtimationis antiquis Theologus, dicens: Ille eſt verus & germanus Catholicus qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ Fidei nihil præponit: non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, ſed hæc cuncta diſpiciens & in Fide fixus & ſtabilis permanens quidquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum, credendúmque, decernit: quidquid vero ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes Sanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem ſed ad tentationem potius intelligat pertinere.

Via hæc regia, ambulandum per eam: declinans vero per contemptum ad dexteram, vel ſiniſtram, magnam ſibi, in quam incidat, foueam, parat. Inobedientia enim pariens contemptum, reatum contrahit quouis alio grauiorem. ſiquidem diuina Scriptura teſtatur: (1.Reg.15.) Quoniam quaſi peccatũ ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.] Contra vero ſumma eſt laude digna ſimplicitas iuſti, qui timens culpam, vbi non eſt culpa, innocentiam integram ſeruat, & gratia auget. Hinc laudatur pietas Theodoſij iunioris Auguſti, qui nõ iniuſtã tãtũ, ſed quæ nulla penitus erat,

vtpote excommunicatio lata ab homine petulante, cuius nulla erat prorsus excommunicandi auctoritas, ita exhorruit, vt neque cibum sumere vmquam sustinuerit, quousque ab eodem, à quo eiusmodi nulla excommunicatio progressa esset, benedictionem consequeretur. Sed audi breuem ipsam historiam memoria dignam, quam Theodoretus (Th. hist.lib.5.c.37.)recitat his verbis: Vir quidam excolens vitam monasticã, animo paulo audaciore præditus, ad Imperatorem rei cuiusdam petendæ gratia, accedit. Quod cum sæpius fecisset,Imperatori ecclesiastica interdicit communione, vinculóque Ecclesiæ ei iniecto decedit. Imperator autem fide cum primis excellens,ad palatium veniens,cũ tempus instaret conuiuij, & omnes conuiuæ adessent, dixit se non prius capturum cibum, quam Ecclesiæ vinculo solueretur. Proinde vnum ex familiarissimis ad Episcopum mittit, vt potestatem faciat ei, qui ipsum ligauerat,vinculo soluendi. Cum autem Episcopus respondisset, non debere cuiusque vinculum admittere,significassétque eum solutum esse, non tamen solutione illa contentus fuit, donec ille, qui eum ligauerat, magno cum labore conquisitus, communioni illum restituisset.huiusmodi erat Imperatoris erga leges diuinas fides.]hactenus Theodoretus, & quidem factum repræsentans laude dignissimum: siquidem totum impensum est pietati, quidquid ex nimia scrupulositate videri poterat esse progressum. Odoratus est autẽ in sacrificio Dominus odorem suauitatis, qui pro ipso aduersus barbaros atque tyrannos pugnans, ipsi integrum atque floridum conseruauit Imperium, atque feliciter propagauit.At iam, quod ad Ducis litteras spectat,satis.

Quod

Quod autem pertinet ad litteras Senatus, contra eandem excommunicationem publice datas ad populum: quod in eodem argumento versentur, eadem remaneant confutatæ responsione. Cæterum simillimum plane id genus litterarum esse scias illi, quod male vsurpatum à Michaele Imperatore, à Nicolao epist. 9. summo Pontifice ita describitur, & condemnatur: Tantis erat epistola verbis contumeliosis, immo blasphemiis respersa, vt scriptor eius nonnisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudisse videatur, adeo vt si cuiuspiam simpliciorum cor penetrent (non enim hæc aures prudentium suscipiunt) hunc continuo necent, nimirum tanto miserabilius, quanto mors animæ magis quam corporis per illum virulentum haustum admittitur.] Ex quibus vt aliqua promamus, ac simul promendo eadem confutemus, antidoto necando, quod possit necare, venenum: habetur in eis in primis quod mordeat Clerum, & sugillet pios, nimirum querela, quod (vt aiunt) sagacitate ecclesiasticorum, & simplicitate piorum, quarta iam pars esset alienata Veneti dominij bonorum immobilium. Sententiam plane dignam non religiosissimo vestro Senatu Veneto, sed Anglicano conuentu, qui apud vos est, vbi in odium Catholicorum Fidelium eiusmodi solent effutiri dicteria. Vnde dicere cogar: Anathema in medio tui est Israel. (Ios. 7.) nec est quod parere aliquid boni possit, immo non est malum, quod ex ea malorum fecunda propagine germinari non valeat. Quis aliquando orthodoxorum detraxit concionatori suadenti Fidelibus eleemosynas frequentare? Manichæum hunc fuisse

oportuit, eiuſmodi impietate reſperſum, qui nolit ſuaderi debere fidelibus, quod diuinis Scripturis faciendum, frequentioribus ſententiis ſermo diuinus inculcat. Sed & quis Catholicorum inuentus hactenus, qui bona ſua erogantes, ſiue in reſtitutionem collabentium eccleſiarum, ſiue in æditùorum alimoniam, quod factum liquet à quamplurimis viris ſanctis, hos, vt vos, ſimplices nominarit, quos Redemptor noſter, eo quod negotiari vtiliter ſciuerint, prudentes appellat? (Matth.24. Luc.12.) vt qui didicerint pecunia traiecticia cœlum emere, & redimere temporariis æternitatem, & transferre theſauros in cœlos: (Matth.6. Marc.10. Luc.12. & 18.) vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, atque facere ſibi amicos de mãmona iniquitatis: (Idem 16.) à quibus in æterna tabernacula recipiantur. Quibus & competat nomen non adulterinæ, ſed veræ ſimplicitatis, qua Iob (Iob 1.) ſimplex & rectus, ac timẽs Deum, laudaturi & Daniel, (1. Mach.2.) quod in ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum; & Pauli Apoſtoli, (Rom.12.) admonitione doceamur, dicẽtis: Qui tribuit, tribuat in ſimplicitate. Sancta plane ſimplicitas, nõ quæ penes vos ſonat fatuitatem, qua ſugillatis omnes, qui bona ſua reliquerunt eccleſiis: qua contumelia ſuo damno Mauritius Imp. S. Gregorium legitur perſtrinxiſſe.

Additis inſuper de viris eccleſiaſticis, quod otioſe fruantur bonis eccleſiarum, partis populi totius ſudoribus: ſed cum neminem excipiatis, cum ſint ex iis complures, quos certum eſt digne in Euangelio laborare; ad Deum pro populo puras leuare manus; ſatis apparet, oculum eſſe nequam, (Matth.6.) ante

quem

quem totum corpus appareat tenebrosum, cum nec intueri possit, nec distinguere filios lucis à filiis tenebrarum. Sed pœniteat vos hac in re esse imitatos Iulianum Apostatam, qui iisdem incessebat calumniis seruos Dei; qui & sicut est ipse Deum expertus vltorem, vos pariter sentietis execrandi sceleris vindicem, qui lædentibus seruos suos acerbissime comminatus est, dicens: Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. (Zach. 2.) Sed hæc leuissima sunt, & nullius fere momenti, respectu eorum quæ mox inferius aduersus omnes ecclesiasticos euomuistis, quæ etsi vera fuissent, vestris publicis litteris nequaquam spargenda erant in vulgus, sed omni reuerentia contegenda, cum noueritis filios Noe (Gen. 9.) retrorsum incedentes, & caute obtegentes verenda patris, benedictionem esse consecutos; Cham autem perpetuo maledictum. cuius vos exemplum sectatos par pœna condemnet, nisi vera pœnitentia crimen diluat, quod faciendum hortamur.

Quod si vos adeo seueri exactores, paucorum delicta conuertitis in vniuersos: plane grauissime inde peccatis, cum vno fasce iustos comprehendatis cum iniustis, eosdémque pari affectos ignominia pari censeatis dignos esse supplicio: vt omnes quidem in vos exclament tantæ arbitros iniquitatis. Si vero adeo sancti videri vultis, vt pati non possitis quempiam Ecclesiasticorum extra disciplinam sacrorum canonum euagari: laudare zelum, si esset secundum scientiam, quæ docet naturæ exemplis, admixta segeti zizania crescere, & donec ventiletur, grano paleam esse cõmixtã, monétq; ex aliis innumeris Scripturæ diuinæ sentẽtiis: & quod potissimũ est docet

exemplo Christi summæ sapientiæ Patris, qui in numero duodecim Apostolorum passus est vnum ex iis furem esse, & proditorem atque sacrilegum: insigniorem cæteris peccatorem, qui fuerint aliquando, vel in æternum futuri essent: ne quis adeo miraretur, vel scandalum pateretur, si forte contingeret in eius Ecclesia quemlibet duodecimum sacrorum ministrorum instar Iudæ reperiri omnium scelestissimum; quod absit, vt possit asserere quispiam. Sed & si vere absque calumnia diceretur: ad Christi exemplum, quo tuto contineremur asylo, esset legitime prouocandum. Non tamen ista dicimus, vt eius modi delinquentes saluos esse velimus, sed acerrime puniri per suos iudices, vestros conciues, præfectos ecclesiis sub vestro dominio constitutos Episcopos, ad hoc ab ipsis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus vestrates electos, vt cum non per alienos, sed per vosmetipsos cuncta administrari videretis, sineretis cuicumque foro iura habenti distincta, eidem esse salua.

Sed his omissis, iam illæ ipsæ litteræ, quibus adeo multipliciter & enormiter peccatum est, tamquam è portis inferi proditæ, in vltionem expansæ ad Petri Confessionem, in obliuionem perpetuo silentio complicatæ, scissæ in redargutionem audacissimæ scissionis, vti mendaces & contumaces, calumniosæ atque proteruæ, quibus ita ignominiose Romanam Ecclesiam impetistis: eandem excipiant digne sententiam, qua his similes litteras Michaelis Imperatoris blasphemas & calumniosas Nicolaus Pontifex condemnauit igni tradendas, (Nicol. ep. 9.) his pronuntiatam ab ipso verbis: Decernentibus nobiscum & simul considerantibus (al. confidentibus.) iisdem

iiſdem ſanctiſſimis fratribus & Coepiſcopis noſtris, ipſam epiſtolam (ſeu potius ipſas epiſtolas) in ſtipite videntibus cunctis ſuſpenſas, vaſto ſuppoſito foco, ad vituperium veſtrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam S. Petri multiplices inueniũtur, extremę perditioni donabim⁹. Quatenus his rite patratis, diſcat pius quod amet, & crudelis quod timeat.] hæc Nicolaus. quæ & facta ſunt ſub eiuſdem Nicolai Pontificis ſucceſſore Hadriano Pontifice tam de litteris Imperatoris, quam de Photij Patriarchæ. Maneat ergo ſuo robore conſtãs ſententia Nicolai, qua in contumaces & calumnioſas litteras Michaelis Imperatoris eſt iudicatum & præiudicatum in veſtras illis ſimiles, & alias quaſcumque eiuſdem generis litteras contigerit exarari: quas ſuper reſpuit, nec lectione quidem dignas exiſtimauit antiquitas veneranda. hinc de his ad Cornelium Cyprianus: (Cyprian. epiſt. 42.) Viderint qui vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis, & ſanctitatis immemores, iactitare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt; & cum innocentiam deſtruere ac expugnare non valeant: ſatis habent, fama mendaci, & falſo rumore maculas inſpergere. Certe quod Præpoſitis & ſacerdotibus congruit, danda eſt opera, vt talia cum à quibuſdam ſcribuntur, per nos reſpuantur. Porro hæc fieri debere oſtendimus, ſi quando talia quorumdam calumnioſa temeritate conſcripta ſunt, legi apud nos non patimur.] hæc acerrimus vindex exiſtimationis Apoſtolicæ Sedis, & qui ſederet in ea Romani Pontificis, martyr glorioſiſſimus Cyprianus. ac de veſtris litteris hactenus.

Quoniam autem fortaſſe contigerit, vt aculeata

Paræneſi vos queramini à nobis eſſe perſtrictos:ad illam prouoco vos ſacrorum Prouerbiornm ſententiam : Prou.27. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis:] in memoriam reuocando, quod ſcripſit lacrymans Ieremias, inde videlicet populo florentiſſimo, & ciuitati ampliſſimæ excidium proueniſſe,quod(vt ipſe inquit) Prophetæ non aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.] Vnde maximi loco emolumenti ducere debeatis, ſi hortando, monendo,rogando & arguendo, veſtra ad curationem peccata detegimus, quorum, dum latent, ſit prorſus deſperanda ſanatio. Quamobrem vt dicam cum Apoſtolo: Philip.3.Eadem ſcribere,mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.] Nempe cauete hæreticos, quos & habetis inter vos habitantes, & eiſdem conniuentes prauos Catholicos, conciſionem ſuadentes, nimirum ab Eccleſia Catholica ſciſſionem. Qui ſcindit,ſcindatur ipſe, acclamatum eſt ſæpe in Conciliis œcumenicis,ſecundum illud propheticum : Ier. 50. Quæ fecit, facite illi.] nempe vt qui ſcidiſtis Eccleſiam Dei, patiamini ipſi in Republica veſtra ſciſſuram. Admoneat vos periculum veſtrum: exterreat perditio veſtra. Periculum, inquam, quod Deus, ob leuiorem populi in ſacerdotem contemptum, conuertit iratus in regnum, ſanctam ipſam quam inſtituerat Rempublicam inter Hebræos. Audite ſcribentem ad Rogatianum Epiſcopum, S.Cyprianum glorioſiſſimum martyrem,(Cyprian. ep.65.) & iſta ex diuino oraculo ſic deducentem: Cum Samuel ſacerdos à Iudæorum populo ob ſenectu-

nectutem, sicut tu modo, contemneretur: exclamauit iratus Dominus, & dixit: Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. 1. Reg. 8. Et vt hoc vlcisceretur, excitauit eis Saul Regẽ, qui eũ iniuriis grauibus affligeret, & per omnes cõtumelias & pœnas superbũ populũ calcaret, & premeret, vt contẽptus sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur.] dũ ipsorum Rempublicã sua Deus plantatã manu mutauit in regnum. hæc vos pericula vitanda moneo.

Exterreat vero vos magis, quam dixi timendam, perditio vestra. Nam cum grauius peccatum, grauius supplicium iure exigat; & vtique cum insolentius & contumeliosius agitur in sacerdotem, grauiorem consueuerit Deus inferre vindictã: quæ igitur manere putatis vos damna, qui adeo enormiter peccastis in eum, qui loco Petri sedet in Apostolica Sede, Christi Vicarium? immo in Christum ipsum peccastis, dum eius tunicam inconsutilem (quæ est Ecclesia) schismate conscidistis. Sit vobis in exemplum Saul, cum contempto Samuele, eius spretis iussis, vendicauit sibi quod sacerdotalis muneris esset; quem & passus redarguentem, vt abeuntem retineret inuitum, ipsius scidit pallium recedentis, 1. Reg. 15. cum & de vltione mox accepit oraculum, Samuele ad ipsum dicente: Scidit Dominus regnum Israel à te hodie.] Et quod ea sententia non esset quauis pœnitẽtia reuocabilis, ista horrore plena verba subintulit: Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neq; enim homo est, vt agat pœnitentiam.] & quantumlibet dixerit Saul ipse: Peccaui, non fuit dignus audire, vt Dauid reprehensus à Nathan: (2. Reg. 12.) Et Deus transtulit peccatum tuum.] nec vidit post

Dd iiij

hæc amplius Samuelem perditionem ipsius frustra lugentem. Quæ ipsa in exemplum perfidorum Principum iura Ecclesiæ inuadentium Damascenus (Orat. secunda) aduersus Iconomachos agens inducit, atque ait: Regum est ciuilis administratio: ecclesiastica vero constitutio Pastorum atque Doctorum. Impetus iste latronum est, fratres. Saul scidit palliũ Samuelis. Et quid ei contigit? Abscidit regnum eius Deus.] Abscidistis vos, & conscidistis in frusta tot scissionibus, quot inobedientiis contumacibus Christi tunicã in Rom. Pontif. Quid non timendũ? vel non pauendnm? Fiat, rogo, Deus ipse misericors & placabilis vobis, in omnibúsque propitius, sicut cum per Ieremiam comminatus est populo, dicens: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua:] & tamẽ eodem contextu inferius subdit: Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.] Non enim obliuiscetur misereri Deus. Expiate igitur culpam, crimen abluite lacrymis pœnitentiæ.

Erigite insuper animos, rememoramini pristinos dies (Hebr. 10.) in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis, quando non commiscuistis vos schismaticis, sed arctissimo glutino vnitatis Romanæ inhæsistis Ecclesiæ; ob idque passi grauissima à Longobardis, & à contribulibus vestris, quo nomine ab Honorio Romano Pontifice datis ad com prouinciales Episcopos literis, (Habetur 8. Tom. Annalium hoc Anno 630. prope fin.) Veneta Respublica, Christianissima ab eodem fuerit appellata, insigni gloriæ titulo, nonnisi de Romana Ecclesia bene merenti conferri solito. Sed & præter egregium titulum quid præterea fuerit eadem Respublica Ve-

ca Veneta virtutis merito ab eadem Sede Apostoli ca consecuta, gloriose prædicat Gregorius Septimus, (Lib.2. ep. 39.) sic scribens ad Dominicum Ducem, & populum Venetiarum: Scitis enim, quoniam præ multis terrarum partibus diuina dispensatio terram vestram Patriarchatus honore sublimauit, cuius dignitatis eminentia ex sui ipsius nominis & officij prærogatiua adeo augusta & rara est, cũ non amplius quam quatuor in toto mundo reperiantur.] & inferius: Post Apostolicam Sedem, omnibus, quæ sunt in Occidente, gentibus clariores, extitistis.] Vnde autem tanta vobis gloria, Pontificiis monimentis adeo celebrata, nisi ex schismatis odio implacabili, & Romanæ Ecclesiæ pace & vnitate tenacissima comparata? Propagata vero, felicioribus, sicut & maioribus incrementis, cum itidem maiores vestri, vestræ Reipublicæ decus & ornamentum, in summo discrimine constituti, cum dubia lance suspensus penderet orbis, & Principatus illi viderentur penitus interituri omnes, qui audacissimo Principi schismatico, Imperatori Friderico Ænobarbo aduersus Romanam Ecclesiã cõtra Alexandrũ Pontificẽ non iungerentur: iidem vestri generosissimi prædecessores vere Christi fideles, in spẽ contra spem credentes, (Ro.4.) elegerunt affligi cum populo Dei potius (Hebr. 11.) quam regnare cum Ecclesiæ Romanæ hoste obstinatissimo Pharaone. Sicque iuncti tunc fœdere cum Longobardis, facti sunt omnes simul Romanæ Ecclesiæ defensores, schismatis vero fortissimi euersores, honestissimo patefacto aditu ad suam ipsorum Rempublicam Christianissimam augendam, conseruandam, ac solidandam. Quibus à Domino tunc datum est,

vt in ipſorum primariam Venetam ciuitatem trophæa inferrentur partæ victoriæ: quomodo & facti ſunt ipſi nobiliſſimi ciues tanti Pontificis exceptores,exhibitores,etiam triumphi omnium pręſtantiſſimi,ſed & munificẽtiſſimi in expenſis,promptiſſimi in obſequiis, in cuſtodiis ſolertiſſimi. Vnde ſibi celeberrimam à mortalibùscũctis immortalémque gloriam compararũt,illuſtrata tunc mirifice eadem ciuitate manubiis Auguſtalibus, magis vero Pontificiis aucta fulgoribus, & ſacris locupletata muneribus,è penu cœleſti largiſſime,Deo manũ ſuã aperiente, profuſis:honoris inſuper titulis conſignata perennibus,illis vero præcipuis, ex quibus præſtantiſſimi ciues eius iure nominati ſunt, ſchiſmatis euerſores,vnitatis Catholicæ defenſores, pacis conciliatores,fundatores quietis, atque Romanæ Eccleſiæ ſuſceptores,ac protectatores.

At quinam modo audent inſurgere eiuſdem Reipublicæ hoſtes audaciſſimi,tantæ gloriæ euerſores, vt contrariis factis tenebroſa obducant iſta caligine,aſpergántque ignominiis, quæ tot tantíſq ſudoribus parta,ſanguine comparata eſt, auitam gloriã? Cum autem conſueuerint in quauis bene inſtituta Republica iuniores æmuli eſſe maiorum, nec pati ab antiquioribus ſuis eſſe degeneres, quos & factis egregiis ſuperare contenderint: quinam modo (Iſai. 18.) ſpiritus vertiginis exagitauit Principes ſapientes,vt ab Eccleſia Romana(quod pro monſtro habendũ)adeo pudenda cõtradictione defecerint?] Potuitne iſtud fieri,vt à Petro ſcinderetur ſchiſmate Marcus,à patre filius à magiſtro diſcipulus,ac miniſter aſſiduus, & vbique fidelis? Qui enim olim maximo lucro veſtro,nonniſi odio ſchiſmaticorũ,reli-

quit

quit à se fundatam ecclesiam Alexandrinam, maximo quidem damno vestro, si sic perstiteritis (quod Deus auertat) vos relinquet, & Petro fixus inhærens, eius Vicario assidebit, & assurget in opus contra schismaticos & hæreticos collaborans.

Aliena vos pericula moneant consueuit post scissionem desolatio sequi. Donatus in Africa schisma conflauit, à quo Donatistæ denominati fuere, qui vbi incurabiles redditi frequentiori lapsu, dati sunt omnes iusto Dei iudicio vna cum Africana prouincia, Vuandalis primum, atque demum in excidium sempiternum Arabibus. In Oriente non solum quam diximus, Alexandrina, sed & reliquæ sedes Patriarchales, vbi schismate se ab Ecclesia Romana sciderunt, scissæ sunt pariter à protectione diuina, datæ omnes in captiuitatem, & ignominiosissimam seruitutem nefandæ Turcarum genti, sub cuius iugo ferreo hactenus in dies magis magísque teruntur: in primis vero Græci ipsi auctores schismatis, exigente pœnas diuini acerbitate iudicij, vt palea sub plaustro ferrato teruntur, & conterentur quousque desinet esse (Isai. 48.) neruus ferreus ceruix eorum. Ad quod tam grande malum anteuertendum, egregie laborauit suo tempore, quo sumpsit exordium Photianum schisma. Basilius Imperator, qui in diuino illo consessu Octauæ œcumenicæ Synodi, Spiritus sancti gratia congregatæ, ad præsentes ibi schismaticos egregiam habuit orationē, quā adhuc integrā conseruant Acta synodica: ex qua aliqua saltem hic vt describantur, à nobis exigit importuna rerum & temporum opportunitas. Audite quæso tūc illis tantū, sed nūc vobis ipsis Im-

peratorem diuino prorsus afflatum Spiritu perorantem.

Vos quoque,inquit, qui curatione indigetis,ac medela opus habetis,pretiosa membra Christi etsi nescio quomodo à malo dæmone detenti,à capite, nempe à Romano Pontifice separati estis: Vitis vera,quæ propter contentionem importunam, immo vero iniustam, in amaritudinem conuersa es: Amici & proximi nostri,(Psal.37.) etsi propter odium irrationale ex aduerso appropinquantes & stantes,ac vnitatem respuentes. Suscipite admonitionis sermonem(non autem confundor dicere) etiam deprecationis.In id enim nos adduxit misericordia quam circa vos habemus. Scrutamini intima conscientiæ vestræ, & inuenietis vos male ab Ecclasia esse disiunctos.Nouissima hora est, & Iudex pro foribus est,fratres:ne præoccupemur ab eius Ecclesia sequestrati, & longe ab illius gloria proiiciamur. Nihil turpe ducamus passionem manifestare, & vulnus ostendere, ac locum pœnitentiæ & medicinæ requirere, atque intra atrium saluantium fieri:ne confusionem obedientiam arbitrando,confusionis æternæ sumamus experimentum.Qualis autem hæc est confusio, fratres, procidere Deo,& veniam expetere? Deo enim procidunt, qui Ecclesiæ & spiritualibus istis Patribus procidunt.Confusio quidem reuera est & maximus pudor,immo vero in Deum dimicatio,nolle vnumquemque proprium confiteri peccatum, & humiliari propter Christum,& lucrari & se & multos.

Si autem omnino hoc confusionem arbitramini:ego,cui Imperij superposita est corona, forma vobis efficiar huius optimæ humilitatis. Ego, qui impe-

imperitus & insipiens sum,bonum initium ero vestrum qui sapientes estis,& scientia clari. Ego, qui in peccatis volutatus sum,primus vobis typus fiam, qui mundi estis,& virtuti operam datis. Ego primus memet super pauimentum proiicio,purpuram & diadema paruipendens:ascendite ad genas meas, & super oculos meos incedite , nec reputetis magnum, Imperatoris calcare scapulas : nec uereamini pedibus tangere verticem , cui superimponitur à Deo donata corona : omnia pati promptum habeo,& agere promptius quæ vobis quidem confusionem,mihi autẽ gloriam, & maximam claritatem conferre videntur. Neque enim in hoc curam gero gloriæ meæ , tantum vt videam communionem,vnitatem , & vnam ecclesiarum festiuitatem, tantum ne animæ detrimentum patiar, & gaudeat super me ille omnium inimicus diabolus,captiuum sumens,quod mihi desiderandum est, tantum spei meæ lampas insperate non extinguatur, per quam festinabam communi illustrari lætitia & gaudio.

Nescio quod erat satagendum & efficiendum , & non feci,vel quos proponendos admonitionis & deprecationis sermones , & non proposui. vos de cetero videbitis. Innocens enim sum à perditione vestra. Si vero & ad magnum & horrendum illud iudicium futuræ diei vos remittitis,quasi pro vobis rationem daturos:noscite quia bene noui,quia nullus vobis iustitiæ sermo siue hic adest,siue illic aderit,nisi quantum in hac controuersia inuentum extiterit. Verum si vultis ante illud Iudicium, consciẽtiæ vestræ interrogare iudicium:dicetis amplius nihil,quam quod ab Imperio nostro dicitur. Deponite igitur contentiones,fratres, & resumite amo-

minari? Deliramentum quis esse negauerit, non curare, immo summe contemnere, habere loco ioci, immo & lucri, ab Apostolica Sede, ab ipsa Catholica Ecclesia excommunicatione esse præcisos? Deliratio nonne plane omnium maxima est, sperare extra Ecclesiam consequi posse salutem? At insuper quam grande illud delirium, Ecclesiam Romanam de vestra Republica semper bene merentem, conciliatricem Principum in sacrũ fœdus, in bello sociam, in pace matrem, erga filiam propensiorem, beneficentia largiore pandentem sinum frugum: eamdem ab eiusdem filiæ amplexu diuellere, ac diro schismate separare? cum id nihil aliud sit, quam eiusdem Reipublicæ neruos succidere, & caput amputare? Sed delirium plane risu dignũ quis neget, velle cõtra stimulum calcitrare, & obstinato animo vrgere vt frõte feriat durissimam petrã atque confringat? At non delirantis senis tantũ, sed furentis insania animi signũ illud est euidens pro titulis gloriæ infame schismaticorum nomen consequi laborare, ac demum illud pudendum, quod ipsi adiacet, hæreticum. Sed & illud quidem grande delirium apparet omnibus, quod sub velamine libertatis, nectantur vincula seruitutis, connexa peccatis, testante id diuina Scriptura, (Ioan.8.) quæ euacuari non potest, quod qui facit peccatum, seruus est peccati, & quod funibus peccatorum suorum peccans quisque ligetur: (Prou.5.) contra vero contemnatur vera libertas, quæ sanctæ religionis cupiat vincula salutaria, quibus tantum obligata, libera consistere possit, ac tuta, fortis, & permanens gloriosa, secundum illud Ecclesiastici ita monentis: (Eccles.6.) Iniice pedem tuum in cõpedes illius, &

in visceribus Iesu Christi, & hoc oro cum Apostolo,(Eph.4.)Ephesios commonente, vt in Ecclesia Catholica sitis vnum corpus,& vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.] extra quam connexionem & vnitatem nulla cuiquam penitus poterit esse salus, sed lugenda semper absque redemptione damnatio.Faxit Deus,vt S.Spiritus gratia,difflata illa caligine, qua obtexit Deus in furore (Thren.2.) suo filiam Sion,arrideat nobis prior illa vestra serenitas,& sidera errantia, (Iud.epist.) quibus procella tenebrarum seruata est in æternum,]in firmamento Ecclesiæ fixa resplendeant in æternum,secundum illud propheticum (Bar.3.) Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt,vocatæ sunt,& dixerunt,Adsumus:& luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas.]Amen.

Sit autem vobis Parænesis hæc vt sic perorem cum Augustino ad Donatistas,(epist. 162.)correctio.si velitis:testis vero,& si nolitis.]

FINIS.

AD PAVLVM V.

PONTIFICEM

MAXIMVM

EPISTOLÆ DVORVM CLARISSIMORVM ITALIÆ IVRISCONSVLTORVM.



Anno M.DCVI.

Ee ij



CONTRA EDICTVM INQVISITIONI ROMANÆ.

La: Gu: Co: Cr: I: V: D:



BEATISSIME Pater, Nunquid & oculi tui carnei sunt? & tu vides sicut videt homo? Pateris noua fulmina contra legentes literas Serenissimi Principis Veneti, quibus se Catholicum,& Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ obseruantissimum,profitetur: Bone Deus! Benediceresne si contraria audires? Repetam alias dicta,vt eo magis Edicti Romanæ Inquisitionis infirmitas detegatur.

Suo iure vtitur Serenissima Respublica, cum leges dat subditis,ac publicum ius, & subditorum facultates tuetur. Ad hoc Principes à Deo constituti sunt.Quin non modo bonis,sed & discolis, Petrus (Epist.1.cap.2.)cuius tu successor es, & vices tenes, iubet populis subiectionem, & obedientiam.Discordant ista à Doctrina Petri, auctoris tui. Manus Domini fecerunt eos,& sic repente fulminas? Pergis, & consilium impiorum adiuuas, nouissiméque Edicto publico,sub vinculo Anathematis,cura

ſti prohiberi, ne litteræ Sereniſſimi huius Principis, tum ad Communitates Subditas, tum ad Patriarchas, & alios Prælatos, nec alia quæcumque ſimilem materiam continentia, legantur, retineantur, vel quouis prætextu communicentur. Audi in primis, quid Pontifices Præceſſores, de legibus Principum Secularium, dixerint. Leo Quartus & Gelaſius ſcribunt, Quis leges Principum dicat debere contemni? quæ irrefragabiliter ſunt cuſtodiendæ: Et ſi quis aliter dixerit, vel vobis dicturus fuerit, ſciatis eum mendacem: Et leges, quæ hactenus viguere abſque procellis, & pro nullius perſona hominis vllus reminiſcitur eſſe corruptas, nũc & in æuũ, robur ſuum, propriũque vigorẽ, obtinere volumus.

Tu, Sanctiſſime Præſul, longe ambulas à voto Præceſſorum tuorum, qui vis leges conſuetudineſque Dominorum Venetorum obſtruere, irritaſque facere. Hæc ſunt ſigna irati animi. Oſtende mihi cur ita iudices? Quereris in congregato quorundam Cardinalium Senatu, ac Conſiſtorio, de legibus Venetis, ſuper bonis Emphiteuticis latis. Attende, non Cardinalium, ſed Pontificum, & Sanctorum Patrum votum. Alex. iij. Quia non ad Eccleſiã pertinet de poſſeſſionibus iudicare, ideo Regi poſſeſſionum iudicium relinquatis & de cauſa matrimoniali cognoſcatis: D. Auguſtinus tradit, & eſt in ſacris Canonibus regiſtratum, Quo iure defendis villas Eccleſiæ iure humano? quia per Rectores ſeculi Deus eas diſtribuit humano generi. Si autem vt teneantur iſta ab hominibus, iura Regum fecerunt, vultis vt reticeamus Leges, vt gaudeatis? Dixiſti, Quid mihi & Regi? Sed quid tibi & poſſeſſioni? qui ea poſſides iure Regum. Noli ergo dicere, Poſ-

ſeſſiones

fessiones tuas,quia iura humana renunciasti:hęc Augustinus.Ex quibus prudentes inferunt Cōstitutiones Principū Secularium, ligare bona Ecclesiarū in eorū territorio existentia. Impugnas Decretū Dominorum Venetorū,quòd sine licentia Ecclesiæ ædificari non possint. Licentia requiritur ante constructionē,quo tempore,& situs, & materia,& omnia sunt temporalia, & in temporalibus nulla auctoritas Pontificum. Potestates enim sunt distinctæ à Deo, vnde terminos nos transgreditur Decretum. Doles de Lege, quod Bona Ecclesiasticis non alienentur. Intellige,Præsul sancte, votum super hoc, Ambrosij,Hieronymi,& Augustini, nec vota Cardinalium conferas cum sententiis horum sanctorum Patrum. Primus,nullam, persimilem Legem, suo tempore editam,Clericis iniuriam afferre attestatur. Secundus eam Legem prouidam appellat. Tertius attestatur Ecclesiæ non relinquendum, vbi sunt sui hæredes. Tandem accusas iudicia Secularium in Clericos, Vsus Reipublicæ talis est per tot sæcula approbatus à Præcessoribus Pontificibus. Nunc contradicere, est iura per Reges quæsita, tollere, quod neque contra priuatos solet Ecclesia.

Vltimo, hæc omnia sunt introducta ob publicū interesse,& ius publicum profertur iuri Ecclesiastico, ex Peritorum, & Pontificummet sententia.

Ista non leuia, (vt quidam Senatores tui notârunt)sed maximi ponderis, debuissent animaduerti, & super his & aliis circa hæc,oratores etiam expresse audiri: Attamen, voto suscepto, à quibusdam tuis Cardinalibus, in tuo Senatu vocatis, post

sententiam tuam iam firmatam, & typis datam, quod notorium est, hi inter spem, & metum, captiuantes eorum intellectum, votarunt pergendum. Fulminasti Censuras in Serenissimum Principem, & Excellentissimum Senatum Venetum, & interdixisti eorum Dominium. Quidnam in hoc discrimine, Pater sancte, agendum per religiosissimum Principem, nisi quod tumet fecisse dicis? Consulere Peritos, & conuocare Senatum suum. Id actum est. Hinc vrgebat propensum obsequium erga sanctitatem vestram: Illinc iura, & libertas Reipublicæ, ac facultates, nec non publica quies subditorum. Re discussa in Senatu, trecentorum penè virorum, summæ doctrinæ, præstantiæ, & probitatis, concursu, sancitum est: Non obtemperandum præcepto, quo euertebātur libertas, & vsus Reipublicæ, ac subditorum bona & quies. Docuerunt hæc sancti Patres, & Decreta Pontificum Prædecessorum. Qui apertis verbis pluribus locis ex Sacris literis affirmant, Non parendum Præsidi Ecclesiæ, cum mala iubet & illicita, & irrationabilia; & si hac de causa ad Censuras deueniat, non esse obediendum, quia non ligant, nec apud Deum, nec apud Ecclesiam. Quòd autem sint illicita, & irrationabilia, quæ præcipiuntur, alio loco ostendimus.

Nouum, & nusquam hac ætate auditum, vulgatur in subditos nuncium huius interdicti, & Censurarum: insolitus, ignotus, & improuisus sonos huius Tonitrui, non vt putabas, disperfit, sed sub alis Piæ Matris confeuit, & vniuit. Pietas, & Religio Serenissimi Principis Veneti, literis consolatur Communitates subditas. Rem declarat, & quæ saluti status Serenitatis suæ visa sunt opportuna scribit.

Hæ

Hæ literæ non adeo imprudenter per Ministros diuulgatæ fuerunt, vt eadem tenor potuerit Romam vsque conuolare. Quod si hac occasione confictæ sunt aliæ literæ, è vicu allatæ, hic est partus suppositus, Nec satis icompetenter, parcant Illustrissimi Domini Inquisitores, fuerunt de literis prædictis edocti.

Et vt hoc, Senatus Veneti resistétia non obstante, toti orbi innotesceret, nil detractum cõtinuatæ obseruantiæ huius Serenissimi Dominij erga sanctam Romanam Sedem; propterea decreuit Respublica literas patentes affigi, quibus, declarata causa resistentię, protestatur Serenissimus Princeps Religionem suam his prægnantibus verbis;

Cum nobis decretum, constitutumque sit, in sancta fide Catholica, & Apostolica, atque in obseruantia erga sanctam Romanam Ecclesiam persistere, quam maiores nostri, à prima Ciuitatis origine, hucusque, diuina comitante gratia, & sine vlla intermissione, coluerunt.

Sanctitas vestra in Consistorio, ac Senatu suo, dixit se audiuisse homines Doctos, voluitque etiam votum aliquorum Cardinalium in eo congregatorum, qui eam vrgebant ad fulmina, vt supra. Serenissimus Venetus Princeps quàplures Theologos, & iuris, tum Pontificij, tum Cæsarei, peritos consuluit, & votum non aliquorum, sed trecentorum Senatorum, sine spe, vel metu, nemine contradicente, ad resistendum Censuris, habuit: Quod te latere non debet, verior & communior sensus Serenissimi Principis Veneti, longe maiori numero peritorum suffultus, probandus erat.

Nouum tamen fulmen vibras contra legentes, tenentes, & communicantes literas prædictas, & scri-

pturas in hac materia. Nosti quòd Serenissimus Princeps litteris tenuit in officio subditos suos, quos alij seducere, & diuidere studebãt: subditi, qui principem suũ naturalem audiunt, & intelligunt; & cui Diuino mandato obligantur, merentur ex hoc ipso feriri anathemate? Bone Deus, quomodo intra terminos modestiæ continebimur? Regnum à Deo est, (Per me reges regnant) si populi subuertantur, & seducantur, quibus regnabit, & imperabit Rex? Pastor congregat oues, non disgregat. Iubentur Apostoli, quorum tu successor es, non disperdere, sed vnire: si in officio subditi tenentur, hoc est Præceptum Dei, istud tamen prohibetur, & dãnatur, & Censuræ fulminantur, vt hæc officia abscõdantur, & lateant? hæc sunt signa irati animi: ostende mihi cur ita iudices?

Multo minus patentes literæ affixæ debent hoc Anathemate impediri, sepelirive. Finis earum est, vt se Princeps declaret, & protestetur Catholicum & obseruantissimum sanctæ Ecclesiæ Romanæ, vt antecessores sui. Quando operibus, viribus, & præsentia, se talem declarauit Princeps Venetus, annuerunt Pontifices, gratias Principi benemerenti habuerunt. Talis semper continuauit, Talem se adhuc exhibet, & protestatur. Lætatur vniuersa Ecclesia his officiis, & muneribus. Paulus autem V. Pontifex, damnat, & Anathemate ferit, qui diplomata hæc Christianissima legunt, & memoriæ tradunt, & ea conatur obliuioni mandare. Cogor dicere cum sancto viro Iob, Cur faciem tuam abscondis? & arbitraris me inimicum tuum? & scribis contra me amaritudines? Sed quid ista ad officium Inquisitorum hæreticæ prauitatis? Hære-

sis est

ſis eſt crimen contra fidem Chriſtianam. Nos, in noſtris litteris, & expreſſe Chriſti fidem Catholicam Romanam ſequimur, & eam profitemur & proteſtamur. Habēt Inquiſitores Iuriſdictionē attributā, conditione exiſtēte; vnde neq; poſſunt cognoſcere, an aliquis ſapiat manifeſte hæreſin, vt dicunt Prudentes. (C. Accuſatus. ſane & ibi Glo. verbo Manifeſte, de hæreticis in 6.) Quid vero dicam de titulis datis in Edicto, litteris, & ſcripturis noſtris; vbi aſſeritur, eas prohiberi, quia continent multa temeraria, calumnioſa, ſcandaloſa, ſeditioſa, erronea? Omnino non pertinent ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis iſta. Iccirco, ſicut primæ Cenſuræ, tanquam nullæ, & inualidæ, ſeruatæ non fuerunt; ita prohibitio, & Edictum iſtud, vti extra Iuriſdictionem Inquiſitorum, ſpernetur, & voſmet detrahitis dignitati Eccleſiaſticæ, qui præcipitis non præcipienda. Cautius eſſet agendum, maxime in negotio Cenſurarum, & eo magis contra Principes ſupremos & Catholicos: quia qui male iubet, bene obauditur.

Non pateris ſcripturas in hac materia. Noluiſti iura Reipublicæ ab Oratorib. percipere; recuſas eas ſcripturis ab aliis intelligi. Quid eſt hoc, niſi defenſiones omnino negare, quæ de iure Diuino ſunt? Audi Melchiadem Pontificem Præceſſorem tuum. Primo ſemper ante omnia diligenter inquirite, vt cum iuſtitia & charitate diffiniatis, neminem condemnetis, ante verum & iuſtum iudicium. Nullum iudicetis ſuſpicionis arbitrio: Sed primum probate, & poſtea charitatiuam ſentētiam proferte. Et quod non vultis fieri vobis, alteri facere nolite.

Cogita, Pater Sancte, ſi in tuis ſententiis has Præ-

cessorum tuorum seruasti regulas; Ista debent Pontifices Secularibus potestatibus: Nos autem cogimur hæcmet Paulo Quinto Pontifici insinuare, & errata Magistro indicare: Quod tibi displiceret, aliis ne facito: Censebuntur oculi tui carnei cùm ea non seruaueris: Fertur iis mediis Ecclesiasticos affectasse Monarchiam, & Potestatem à Deo distinctam totam ad suum Tribunal vnire, quod esset admodum Tirannicum, & contra expressam mentem Diuinam: Videte ne his vastis prætensionibus, Claues vim perdant, & rubiginem inducant, & menti recōdite, Quod cum res reducitur ad effectum, omne perit iudicium.

Viden, Pater Sancte, quæ Sathanas mala semina spargat hac occasione? Audistin quæ dicuntur de auctoritate Pontificis, de diuisione Potestatum? Vtinam non incidissemus in hæc tempora, nec consilia mala præualuissent: Respublica nunquam deficiet à Religione Catholica, & à Communione Sāctæ Ecclesiæ Apostolicæ Romanę: Sed nec vnquam patietur libertatem suam, vsúsve suos, facultatésque Subditorum subuerti. Stant simul, resistere pręcepto Pontificis, ista turbanti, & non deserere communionem Ecclesiæ Romanæ, & Catholicam Religionem: Memineris exempli Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani, qui Anathemate iniusto vulneratus à Iohanne Pontifice Octauo, non paruit. Mortuus nihilominus miraculis claruit, & in numero Sanctorum fuit relatus. Audi quæ nuperrimo hoc proximo anno docuerunt Patres illi Societatis IESV, scribentes librum Typis datum ad Henricum IV. Francorum Regem, in his verbis: Si adeo iratum Numen haberemus, vt ad se Clementem accerse-

cerferet,& Bonifacios Octauos,Benedictos XIII. & Iulios Secūdos induceret, quid ageremus? Nempe,breui dicam, quod in loco tempore probos, & bonos Francos,quod moderatos, ac frugi Ecclesiasticos,cum Rege Philippo Pulchro, cum Ludouico XII. accepimus fecisse.Qui ius suum,ac regni,cum mordicus tueretur,contra dictos Pōtifices infestos, nunquam propterea à Sancta Sede Apostolica desciuerunt. Recognouerunt in spirituali Dominatione Pontificem,officij Christiani potissimas partes deseruere nunquam, Christi Vicariam Maiestatem sunt omni studio, omni fide, omni obsequio prosequuti:de quo,ne dubitandi suboriri posset vlla suspitio,fecit Philippi Pulchri Regis,à Tilletio scripta,atque ad posteritatem transmissa,responsio.

Istud idem exemplum, ac Consilium Christianissimorum Regum,sequitur Respublica. Nec paruit,sed resistit, Censuris inualidis. Nec se separat ab Ecclesia Romana, Nec officia potissima Christiana vult in suo Dominio prætermitti: de qua, in fidem Catholicam, & Sedem Romanam perseuerantia, ne suboriri posset vlla suspitio, fecerunt Serenissimi Principis Veneti litteræ affixæ publicè,sicut & Philippi Regis responsio, vt supra. Malo ingenio audis ista, Beatissime Pater,siste gradum,tolle fulmina, quiescat ira tua, & esto placabilis super nos,nil noui agimus,vtimur antiquo iure nostro,& qui iure suo vtitur,nemini iniuriam facit. Res aliter agitur cum Principibus,manu, viribus, & Potestate supremis. Dominos Venetos,alia via,vel in tuam trahe sententiam, si potes; vel melius consultus, tu in eorum intres opinionem. Si pergas, nosti quod non obediêris, Abyssus Abyssum inuocabit, detra-

hetur Gloriæ Sedis tuæ, absque Dominorum Venetorum culpa, qui iura publica, & subditorum tenentur custodire, & tunc non in emendationem, sed in destructionem perges, contra Præcepta Patrum,& tuorum Præcessorum.Nam ad hoc indictæ sunt Censuræ, vt construant, non vt destruant. Quòd si fortè putasti, vi istud posse euincere, non succedet,quia res est cum Prudente, Potente,& benemerito Principe: Et tu Sedem, & Subditos tuos, sine fructu deplumabis. Sed interim,quæ desolatio Populorum, & totius Italiæ? In quo discrimine Sedem tuam constitues? Spumant ora Luporum, exspectant vt hæc agantur, omnes hæreses Italiam inuadent, deturpabitur sanctissima Sedes: in caput tuum,Pater Sancte,tota faba cudetur.

Igitur, ne, te Præsule, mala ista eueniant, muta sententiam, præcidenda est occasio tam grauis incendij, habes in Sacris literis, Quod non possumus superare,tollerare debemus. Retia Domini rumpenda non sunt, nec deserendus grex Domini. Si ita egeris, habebis hanc Christianitatis fortissimam Columnam obsequentissimam. Dominus tecum erit; Longitudine dierum replebit te; & ostendet tibi salutare suum.

AD

AD SVMMVM PONTIFICEM.

Al: Li: Æq: Ve: I: V: D:



ADMIRATVS sum valde, Summe Pontifex, Legem à te latã, qua omnes, qui pro Veneta Republica scribunt, diris execrationibus prosequeris, ac detestaris. Hæc enim (remoue quæso, dum pauca humiliter, ac piè, perinde ac si Deum Optimum Maximum alloquerer, propono, auctoritatem, & rẽ ipsam tene:) cum omnia circa diuina possis, verè non potes: Vris, cædis, lancinas, & viscera dignitatis, decoris, libertatis Reipublicæ, seuerissimè, ne dicam crudelissimè, & ingratissimè differs, & silentium indicis? vocem cõprimis? ora obstruis? extrema minaris? Ne Dei optimi Maximi opem implorare audeat, prohibes? Virginem decoram, pudibundam, honestissimis, ac modestissimis moribus præditam, non fuco illitam nec calamistris inustam, sed viuo sanguine, & præclaro, ac splendidissimo pulchritudinis flore perfusam, & mirifice nitentem, & ab incunabulis ad hæc vsque tempora castè & liberali custodia septam, & conseruatam, & admirandã, in totius orbis veluti Theatro, tanquã impudentissimũ & turpissimũ scortũ exponis, producis, & quã maximis potes vocibus & clamoribus, ac veluti maximarum tubarum clangoribus, proclamas, & vocem vt cõtineat, iubes? non potes, Pater, non potes, fac velit, nec ipsa potest. Cum dolet acriter, lachrymæ excutiuntur,

vox dolentis exprimitur, & erumpit naturæ vi cogente. Cæde puerum, aut seruulum, clamabit, statim vociferabitur; iube sileat, non parebit, altius clamabit, & maximas contumelias, & turpissima ingeret iurgia. Naturæ ius, & vis, & lex est, vt quis quacumque ope potest vim sibi illatam repellere, & decus suum tueri conetur, & saltem dolere queat. Hanc tu tollere, seu immutare nunquam poteris. Altius tuo, naturæ est solium, & tu parere cogeris: hæc vero te docere possunt, hominem esse, non Deum. Si vera sunt quæ dicuntur, quid doles? Corrige, abstine, imitare veterum Romanorum Principum morem, & Prudentiam, quin & Græcorum. In libera Ciuitate, liberas esse linguas non vis? nec hoc potes, Pater: nam etsi eas euelleres, spiritu ipso & clamoribus libertatem, vita longè chariorem, libera hæc ingenia præ se ferrent, ac profiterentur, & nutibus ostenderent, ac significarent. Non possunt enim ferre cum contumelia damnum. Non legis, aut Pontificis contemptus hic est: Maiorum mores, veterum instituta verentur Veneti, ne quid immutetur prospiciunt, & summopere cauent. Si aliam in gerenda Republica, & in eius administratione, viam inire cogerentur, omnia ruitura existimarent. Proinde initiis obsistendum censent. Nimis attentè ais, libertatis suæ habenas continent. Quid tua? Sed quid pro sepulchro Christi egerunt, quid pro Leone Nono, quid pro Nicolao Secundo, quid pro Gelasio Secundo, quid pro Alexandro Tertio, quid denique pro Pio V. cogita. Humillime, Pater Sãcte, te obtestor, vt ad omnia oculos circumferas, ad salutem Italiæ imprimis, & totius Christiani orbis, ad vetus Venetæ Reipublicæ cum Apostolica Sede

con-

coniunctionis vinculum,ad labores,ad sumptus,ad sanguinem Ciuium Venetorum pro Apostolicá Sede effusum,ad Barbarorum terrorem, ac vim,nec non & ad eorum gaudium, & exultationem. Maximus es,& excelsus,maior eris,si pace, & concordia, tibi nihil potius erit,aut antiquius. Gloriosum erit supremo Principi, à quo pietatis exempla sumuntur,si grauitati,ac seueritati suæ,lenitatis, & bonitatis simul suæ guttam asperserit. Iucundiora,lætiora, auspicatiora omnia Principatus tui erunt. Quod enim holocaustum maius, aut gratius Diuinæ potest offerri?Maiestati & Bonitati,quàm Pax;& obsequẽtissimæ Ciuitatis conseruata libertas. Non enim Respublica nouarum rerum cupida, non aliena appetit; libertas tantùm, & mos maiorum, altissimo, tanquam cuiusdam necessitatis lex tradita, & sibi imposita,animo insidet; si quicquam immutaretur, omnia funditus euersum iri arbitrarentur. Cur igitur Pater irascatur?excandescat,& furias cum ardentibus tædis immittat? & ad furorem filiam impellat, vt vastitas Italiæ, & strages, & eluuies, ac rerum omnium perturbatio,ac confusio consequatur? Pacem igitur, Sancte Pater, cæteris omnibus omissis, benedictione tua constitue: quod si sponte, & non rogatus feceris,summæ virtutis,& veræ Christianæ pietatis, & laudis, & gloriæ columen, ac fastigium omnibus coronis, & triumphis excelsius, assecuturum & omnium denique virtutum numeros impleturum te existima,& certò scias.

SENTENTIA BARONII CARDINALIS, SVPER *excommunicatione Venetorum.*



VPLEX est, Beate Pater, ministerium Petri, *Pascere*, *& occidere*: dixit enim ad eum Dominus: *Pasce oues meas:* audiuítq; è cœlo vocem, *occide*, *& manduca*. Pascere oues est, curã gerere obsequentium fidelium Christianorum, mãsuetudine, humilitate, ac pietate oues & agnos præ se ferentium. Cum verò, non cũ ouibus & agnis negotium sit, sed cum leonibus & aliis feris animalibus, refractariis & aduersantibus, agendum est, iubetur Petrus eos occidere; obsistere scilicet, pugnare & expugnare, ne tales sint penitus. Sed quod huiusmodi occisio nõ esse debeat, nisi ex summa caritate, quod occidit præcipitur *manducare*; nẽpe per Christianam caritatem, intra sua viscera recondere; in seipsum cõdere, vt simus vnum & idem in Christo: Quod dicebat Apostolus, Cupio vos in visceribus Iesu Christi. Sic igitur nõ est occisio ista, crudelitas, sed pietas atque sinceritas, cum sic occidendo saluatur, quod eo modo viuendo verè perierat. Est, vt Nicolaus I. docet, Excommunicatio, non ad occidendum venenum, sed ad sanãdum optatum medicamentum. Sic & videmus Patrem amare vincula, quibus à medico filius ligatur phrenitide laborans, sperantem posse curari. Perge igitur, Sãcte Pater, quod cœpisti, in quo te nemo redarguere potest nimiæ festinationis, quòd dicat Paulus ad Christianos fratres scribens, Ecclesiam in promptu habere vlcisci omnem inobedientiam: in promptu hoc

illi

illi faciendum præcepit. Tua verò Sanctitas in his diutius est immorata, scribens, dilationémque iterans in hunc vsque diem. Ego, vt ingenuè fatear, exulto spiritu, dicam cum Apostolo, superabundo gaudio; videor videre in Sede Petri Gregorium siue Alexandrum, has scilicet præcipuas radices collapsæ penitus Ecclesiæ libertatis; ambos ex Senensi Metropoli, vnde V. S. originem ducit vocatos ad Cathedram Petri, quorum alter expugnauit Henricum peruersissimum Imperatorē, alter verò, mira constantia resistens, Fredericum penitus superauit. Idem tibi certamen ineundum, modo ruinæ hæ in manu tua. Dicam cum Esaia: Erige collapsam, prostratam Ecclesiasticam libertatem, certa paratam victoriam. Etenim nobiscum Deus. Verbum Christi est, Et portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Positus es in Ecclesia Successor Petri, in promissione ipsi facta, præueniant & firmentur de petra. Et quod Hieremiæ, tibi dictum est, Posui te in columnam ferream, & murum aheneum. Memor esto te in Ecclesia positum esse in petram, in quam omnes qui offendunt confringentur. Tu verò permanebis illæsus, coniunctus Christo, qui pro te pugnabit & vincet.

Ff ij

SENTENTIA CARD. COLVMNÆ.

OBSISTERE parentibus impium. Eam verò Matrem oppugnare, cuius Clementia in vna suorum filiorum curanda salute, defigitur, plane detestabile. Eóque magis, quo pluribus nominibus in eam maiorum obsequium declaratur. Satis cuique notum, quantum in ætatem hanc, Romana Sedes Reipublicæ Venetę commodi fuerit studiosa, quãtum illa se pariter erga illam Sedem, obsequentem, gratámque præbuerit: illam nunc ab huius Religionis obseruantia, nostra tempestate deficere, & contra libertatem Ecclesiasticam iniquas ferre leges, nemini ferendum. Remedio est opus. Satis à B. V. diuturnum concessum ad resipiscendum tempus. Decreta Patrum, Conciliorum Canones illi declarati, Euangeliúmque docuit obseruandum: ne maiorum suorum Religionis oblita, firmius in suo errore persistat, flagellis corripienda potius, quàm lenitate inuitanda: forsan, qui tantæ benignitatis indulgentia obduruere, pœnæ seueritate mitescent, & qui nunc nihil timere videntur incommodi, destituti paterno præsidio, iuribus Ecclesiastici excitati, resipiscent.

RESPON-

RESPONSIO
DOCTORIS
THEOLOGI:

Ad Epiſtolam ſibi ſcriptam à Reuerendo quodam, amico ſuo.

De Monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pontificis Pauli V. promulgatarum contra Dominos

VENETOS.

Et de nullitate illarum Cenſurarum, è Sacris literis, Sanctis Patribus, aliiſque Catholicis Doctoribus deſumpta.



IMPRESSA ITALICE VENETIIS
Anno M. DCVI.

Ff iij.



Reuerende Domine



PISTOLAM tuam legi, & valdè miratus sum, quòd ipse prima quæ occurrunt nuntia semper à te accipere solitus, speciatim verò vbi me de re quapiam consulendi sese offert occasio, hoc tempore, quo in ciuitate vestra tot rerum maximi momenti rumores vigent, vltimò à te monitus fuerim. Interim tamen sollicitè adeò petis à me quid sentiam de monitoriis istis Pōtificiis aduersus Rempub. vestram editis, ac de protestationibus nullitatis harum Censurarum ab ea in sui defensionem suarúmque rationum fulcrum exhibitis. Ego licèt possem non hallucinari in causa cōcipienda huius tuæ moræ, eámque materiæ difficultati adscribere, licèt persuadere mihi non possem quis animum tuum scrupulus torquere posset: nihilominùs tamen in tui gratiam, ab insolitis quas dicis occupationibus tuam excusationē desumam, tibíque pro more gratificari volens, me etiam ea quam optare videris acceleratione vtentem tibi satisfacere posse arbitrabor: cùm ad id præsertim paratum me videam ob exactissimam considerationem quam totis hisce diebus super proposita materia seriò adhibui. Scire igitur optas, si benè mentem tuam assequor, An Censuræ à Sanctitate D.N. Pontificis Pauli V. promulgatæ contra vestros Dominos Venetos, sint inualidæ ac nullæ, sicut in ipsorum Manifesto declaratur, adeò vt cùm irritæ sint, in Ecclesia tua possis in Sanctissimorū Sacramento-

rũ celebratione,ac in illorũ omniũ ſacrorũ diuinorúmque miniſteriorum exercitatione pergere,quæ ante harum Cenſurarum promulgationem exercebas,idque citra vllum conſcientiæ ſcrupulum.

Vt igitur ordine & perſpicuè reſpondeam his tuis quæſitis,octo propoſitionibus id omne complectar quod ſuper materia propoſita dici poterit, ex Theologorum more, quarum doctrina, ſicut ab omni proprio compendio vel adulatione erit aliena,ſic etiam ſacris literis, ſanctorum patrum dictis expoſitionibúſque & omnipotenti veritatis rationíſque robore nitetur, vt nemo niſi proteruus, eam impugnare audeat.

PRIMA PROPOSITIO.

POteſtas quam Principes temporales obtinent, atque etiã ſummus ipſe Pontifex,ceu Dominorum & Prouinciarum quas poſſidet, princeps temporalis immediatè eſt ipſis à Deo conceſſa,citra exceptionem vllam.

Ad clariorẽ huius propoſitionis ſenſum aduertere oportet dominiũ & ſeruitutẽ, principis imperiũ & ſubditi obedientiã,quatuor modis eſſe de iure gentium introducta, videlicet Electione, Succeſſione, Donatione, aut Iure belli:adeò vt omnes ij Principes qui vno è quatuor hiſce modis vnquam fuerunt, vel hodie ſunt in Principatus ſolio collocati,ſint iuſti ac legitimi Domini:hi,inquam ,qui à Deo poteſtatem habent imperandi,leges ferendi, tributum exigendi,iudicandi,ſubditos ſuos puniendi, abſque vlla exceptione.

Doctrina hæc nõ mea eſt,ſed D. Pauli in epiſt. ad Rom.

Rom.cap.13.imò Spiritus S.per os eius loquentis & eius penna ſcribentis: Apoſtoli verba ſunt hæc,[Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo.] Hunc locum exponens D.Iohannes Chryſoſtomus, ait: [Facit hoc Apoſtolus,vt oſtẽdat Chriſtũ leges ſuas non ad hoc induxiſſe vt politias euertat, ſed vt ad melius inſtituat.oſtendens, quòd iſta omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus non ſolùm ſecularibus, id quod ſtatim in initio declarat,Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis,etiamſi Euangeliſta,etiãſi Propheta, ſiue tandem quiſquis fueris. Neque tamen pietatẽ ſubuertit iſta ſubiectio.]Hinc ſub veteri lege, quamuis Leuitæ ſummum ſacerdotem,Aaronem ſcilicet,habuerint,in rebus tamen temporalibus, in cauſis ac iudiciis , ſub Moſe temporali ipſorum principe manſerunt,vt probat Couarruuias cap.31.Practicarum ſuarum quæſtionum,num.3.& in primitiua eccleſia diſtinctio Fori non fuit:nam Iuſtinianus Imperator primus Eccleſiaſticis conceſſit, poſtulante id Epiſcopo Conſtantinopolitano , vt in ciuilibus cauſis à ſuis Præſulibus iudicari poſſent,ipſo tamen non impedito , quo caſu,& in capitalibus delictis, permittit vt Eccleſiaſtici Principi temporali,eiuſq; miniſtris ſubditi ſint,vt manifeſtò legitur in nouel la conſtitutione 85.Iuſtiniani Imperatoris. Nec eò quòd Conſtantinus Magnus Imperator litibus contra Eccleſiaſticos ſibi oblatis,hæc verba protulerit, [Vos à nemine iudicari poteſtis, quia ad Dei iudicium reſeruamini,]vt ſcribit Gratianus in cap. Futuram 12.q.1.elicitur inde Eccleſiaſticos Principi temporali ſubditos non eſſe: ſiquidem hoc exceſſui

Imperatoris illius erga Ecclesiam benigno & pio adscribendum est, non autem quòd verè sic sentiret: cùm præsertim si quod Constantinus dixit, verum esset, nec Ecclesiastici Præsulum suorum iudicium subire possent, dicendo, [ad Dei iudicium reseruamini,] quod esset erroris grauissimi: Sũt igitur Ecclesiastici omnes, & seculares, de iure diuino, Principi seculari subditi. [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:] nec deest ratio, quãdoquidem sicut nullus ab obedientia quam Deo debet, immunis est, ita nec ab ea quæ Principi debetur, quia vt subdit Apostolus, [omnis potestas est à Deo:] hinc à Dauide Propheta Reges & Principes seculares, Dij appellantur: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat: siquidem vt Rex Iosaphat exponit lib.2.Paralip.cap.19. iudices seculares non hominum sed Dei iudicia exercent. Hunc ipsum locum de Principibus secularibus citat Christus Ioh.10. confirmátque Deorum nomen ipsis competere: si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, vt doctè notat Cardinalis Bellarminus cap.3.libri quem scribit de laicis. Pergit Apostolus, & ait: [Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.] Ecce authoritatẽ quam habent Principes temporales, ferendi leges de omni materia, quæque singulos obstringant, iuxta illud quod in Salomonis Prouerbiis legitur, vbi Deus ait, Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernũt. Hinc factum vt Christianissimi Imperatores Iustinianus & Theodosius, multas tulerint leges ad homines Ecclesiasticos, bona, & disciplinam Ecclesiasticam, spectan es, sub titulis, [De Episcopis & Clericis, de sacrosanctis Ecclesiis &c.] His legibus iubet Apo-

bet Apostolus vt omnes pareant, nec quisquam eis obsistat, qui enim hoc faciunt,sibi damnationem acquirunt:id est lethale peccatum committunt, in quo si morerentur,æternis inferorum flammis addicti forent.Prætereà iubet Apostolus vt Principi ab omnibus tributum soluatur,qui enim hoc Principi soluit,Deo soluit:[Cui vectigal,vectigal,cui tributum,tributum,sunt enim Ministri Dei ad tributa.] Quem locum explicans Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas,omnium Theologorum magister,Sol vnicus scholæ Catholicæ ait Clericos si à tributo sint immunes,hoc habere,non vt quispiam putaret,de iure diuino, sed ex priuilegio principũ: & de Principibus secularibus loquitur. Tandem cum D.Paulo concludo de authoritate Principis: [Non enim sine causa gladium portat:Dei enim minister est ad vindictam.] Ecce Principis secularis authoritatem puniendi pœna sanguinis. Quam à Deo non habentes PræsulesEcclesiastici,postquàm clericos reos gradu spoliarunt, eósque dignitate clericali indignos declararunt,vlteriùs nil moliuntur,sed vt morte puniantur tradunt eos brachio seculari.Et ne quis putet Apostoli verba esse consilij non præcepti loco,vt totum hoc stabiliat,ait,[Ideo necessitate subditi estote,non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam,] adeò vt ratione conscientiæ Principi seculari parêre teneamur, in omnibus iis quę suprà diximus,à D.Paulo Apostolo edocti.

PROPOSITIO II.

CHristus Saluator noster, quamuis vt Dei Filius,Patri æqualis, sit rex regum & dominus

dominantium, attamen cùm carne nostra mortali indutus esset, tam ante mortem, quàm post sanctissimam resurrectionem, Principis temporalis potestatem non exercuit, regnum temporale non habuit, vt dixit Pilato, [Rex es tu? Tu dicis, [inquit, sed aduerte quòd licèt Rex sim, tamē [Regnum meum non est de hoc mūdo,] hoc est temporale. Propterea quum turbæ quas per miraculum quinque panibus ac duobus piscibus saturauerat, ipsum Regem creare vellent, aufugit, ne raperent, & facerent ipsum Regem. Iudicium ferre de quopiam noluit, vnde iis, qui volebant vt de ipsorum controuersia aliquid decerneret, respondit, [Quis me constituit Iudicem super vos?] Quinetiam Pilatum, Cæsaris ministrum, iudicem suum agnouit, [Non haberes in me potestatem nisi tibi data esset desuper,] vt notat D. Thomas in epist. ad Romanos: tandem iussit vt Principi seculari, nempe Cæsari, tributum solueretur: [Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.]

Quidam sede huic nostræ propositioni opponunt, dicentes Christum, licèt suo & D. Petri nomine Cæsari tributum soluerit, dixisse tamen se ad id non teneri, [Nunquid filij debent soluere tributū?] quibus verbis Principis temporalis authoritatem ostendit, qui est à tributo immunis. Huic dubio respondetur indigenas, vt aiunt Doctores quidam, filiorum nomine designatos, huic tributo minime obstrictos fuisse: cúmque ipse & D. Petrus ex ea regione ortum ducerent, ideò affirmauit ipsos non teneri persoluere, aut potiùs ob sanctissimam suam diuinitatem innuere voluit se vt Dei filium ad tributum illud non teneri. Verùm, quia hanc reddere causam, sublime nimis erat & occultum sacramentum, cuius-

cuius illi Principis exactores capaces non erant, ideò dixit, [sed ne scandalizentur:] vnde cōstat quanti duxerit Saluator secularis Principis ministris scandalum non præbere, veram & realem, sed ab ipsis non intellectam immunitatem adducendo. Alij vt huic propositioni contradicant, aiunt Christum eiecisse ementes & vendentes à templo, sed id zelo fecit ceu Propheta, vnde ad hanc rem citat Euangelista Dauidis verba, [zelus domus tuę comedit me.] Alij dicunt ipsum quando discipulos misit vt asinam & pullum adducerent, iniunxisse illis, vt hero dicerēt, [quia Dominus his opus habet:] id est toti* mundi Dominus. Sed hic locus ita non est intelligendus vt inde Principis authoritas eliciatur: verùm vt innuatur cœli & terræ Dominum adeò modis omnibus pauperem fuisse, vt ipsum animalia illa mutuò petere oportuerit, sicut Doctores exponunt. Nec ratio deest, nam si Principis authoritate vti voluisset, non dixisset [his opus habet,] sed [quia Dominus ita præcipit], alióve modo. Tandem qui hanc nostram Propositionem probatu difficilem iudicāt, dicunt omnes, Christum, quando triumphans die Palmarū, in Ierosolymam intrauit, Principis temporalis autoritatem exercuisse: vnde Euangelista Prophetiam citat, [Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus sedens super asinam, & super pullum filium asinæ.] Sed rem attentè perpendenti demum innotescit Saluatorem, licèt promissus esset Rex & Messias, dum tamen vili hoc abiectóque modo Ierosolymam ingrederetur, Principis temporalis authoritatem non exercuisse, quin potiùs significasse Regnum suum non esse (vt Pilato dixit) de hoc mundo, at spirituale & æternum: etenim Reges

temporales alio apparatu Regnorum suorum ciuitates ingrediuntur, quàm q[illegible] Christus, qui Ierosolymam pauperrimè estingressus,[sedens super asinam & pullum filium asinæ.]

PROPOSITIO III.

QVandoquidē Dominus noster Iesus Christus Principis tēporalis authoritatē nō exercuit, dicēdū nō est ipsum D. Petro, eiúsque successoribus authoritatē hāc reliquisse, qui sunt ipsius Vicarij, cum Vicarius suo Principe nō sit maior. Ideò Sotus lib. 4. Sententiarū, de hac agens materia, & Cardinalis Bellarminus de authoritate Papæ, benè dicunt se Canonistas mirari, quòd absque vlla ratione, vel Noui Testamenti authoritate affirmare ausi sint Papam esse Dominum totius orbis directè in temporalibus: quæ doctrina vana est & cum scandalo. Scio equidem nonnullos citare, præter Canones, qui ceu leges humanæ diuinarum respectu parem dignitatem habere non possunt, citare, inquam, D. Thomam Aquinatem de Regimine Principum, qui cap. 10. & 19. eius libri dicit Summum pontificem esse Dominum totius orbis in temporalibus & spiritualibus: sed ille liber non est D. Thomæ, ve rectè ostendit Cardinalis Bellarminus lib. de potestate papæ: quia præter certissimas alias coniecturas hæc vna est quòd lib. 3. cap. 20. successionis meminerit Adolphi Imperatoris, post Rudolphum, & successionis Alberti post Adolphum, quæ contigêre prima quidem anno 1292. altera anno 1299. & D. Thomas obiit anno 1274. Citant insuper alium locum D. Thomæ, lib. 2. Sententiarum, Distinct. 44.

vbi ait

vbi ait [esse in summo Pontifice apicem vtriusque potestatis, temporalis, & spiritualis:] qui textum legit, secus D. Thomam sensisse agnoscit: siquidem vbi dixit in temporalibus parendum potius Principi temporali, quàm spirituali, & in merè spiritualibus spirituali potiùs quàm temporali, concludit nisi esset summus Pontifex, cui, cùm in suis prouinciis vtramque habeat iurisdictionem, proprij subditi non minùs hoc quàm illo modo parêre debent. Quidam ad huius nostræ propositionis robur infirmandum dicunt Alexandrum VI. Pontificem Indias Hispaniæ & Portugalliæ Regibus distribuisse, quoniam ipse ceu Christi Vicarius earum naturalis erat Princeps temporalis, & ob eandem causam Leonem III. Occidentis Imperium Carolo Magno concessisse. Sed hi toto cœlo aberrant. Nam Alexander, non tanquam Indiarum Dominus, sed vt Iudex compromissarius, à dictis Regibus electus, vt dissidiorum facem sopiret ac penitus extingueret, iudicio decreuit vt bipartita essent maria, atq; vt vnius Regis classis in altero mari, alterius in reliquo nauigaret, omnéque id quod alteruter iure belli cõquireret, suum esset, iuxta diuisionem ab ipso factam, vt illorum temporum historici narrant: De Leone III. verum est ipsum, vbi à populo Romano de Sede expulsus posteáque à Carolo Magno denuò admissus esset effecisse vt eum populus Imperatorem proclamaret, vt ait Platina. Quam rem historici nunc populo Romano adscribunt, qui Imperium à Græcis malè administrari videns, alium Iure antiquo imperatorem elegit: nunc Carolum cùm rerum esset dominus, titulum ab Irene & Nicephoro Imperatore emisse dicunt: vel etiam Ire-

nem & Nicephorum huic diuisioni acquieuisse. Vt vt sit, certum est Pontificem, qui è Sede expulsus erat, nec possidebat quicquam, Occidentis Imperium Carolo non dedisse, qui iam ipsum obtinebat, eiúsque erat dominus iure belli. An verò absolutè titulum ipsi concesserit, incertum est: licèt ad hoc & id genus alia quæ aduersus propositionẽ nostrã adduci possunt, respõderi debeat, Pontificem cũ authoritatẽ à Christo in tẽporalib⁹ nõ habuerit, vt dictũ est, & in sequenti propositione clarius dicetur, si authoritatẽ illã exercuerit, vel id fecisse ex legitimorũ dominorum consensu, vel quòd ipse potestatem etiam aliquam temporalem haberet, vno è quatuor modis supradictis: verùm non ob id probatur ipsum authoritatem habuisse directè in temporalibus à Christo Saluatore nostro. Prætereà multa fiunt à quibusdam, de quibus si quæratur quo iure fiant, non sit inuentu facile.

PROPOSITIO IV.

AVthoritas à Christo Saluatore nostro sub clauium metaphora D. Petro promissa, est merè Spiritualis, [Tibi dabo claues Regni cœlorũ,] non dicit [Regni terrarũ:] docétque id ratio quod in Ecclesiæ hymno legitur: [Nõ eripit mortalia: Qui regna dat cœlestia:] Nam regnũ temporale & Monarchia quo pacto administranda forent, iam ab ipso mundi initio statutum erat authoritate summi orbis Monarchæ, Dei: adeò vt Christus Saluator noster Monarchiam temporalem non stabilierit: superest igitur vt dicamus, illum spiritualem erexisse: quod apud D. Iohannem manifestò apparet, cap. 20.

cap.20,vbi postquam dixisset,[Data est mihi omnis potestas in cœlo,& in terra:]eam omni ratione Apostolis vnà cum D.Petro limitatã concedit:[Insufflauit in eos, & dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:]quo loco & ex eo quod facit Christus,& è verbis quæ profert, elicitur summi Pontificis authoritatem Spiritualem esse, & super peccato,& in animas tantùm,iuxta verba precis Ecclesię ad Petrum,[Qui beato Petro potestatem animas ligandi,atque soluendi tradidisti:] quæ limitata est, vt dixi: quinetiam authoritas excommunicandi concessa eidem D. Petro, est conditionalis,Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus, & Ecclesiam non audiuerit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quo loco Saluator excommunicandi authoritatem concedit,verùm peccato, & in eo pertinaciã præsuppositis.

PROPOSITIO V.

Licèt aliqui nescio quo fundamento nixi, asserant,personas & bona Ecclesiastica à Principis secularis potestate immunia esse, de iure diuino, contraria tamen opinio,esse videlicet tantùm de iure humano, est melior,& sacris literis,Sanctorũ Patrum dictis,atque historiis magis consona: nam præter id quod in prima Propositione diximus, Sacerdotes nẽpe in veteri lege Principi seculari subiectos fuisse:ac præter hoc quod Salomo Abiatar summo inter Hebræos sacerdotio spoliauit,vt 3.Regũ,c.2.legitur: tempore primitiuæ Ecclesiæ vsque ad Iustinianum Imperatorem, non legitur in iure priuile-

gium vllum immunitatis Ecclesiasticis cōcessæ. D. Paulus dixit, ad tribunal Cæsaris sto, Cæsarem appello: & vt Sexcenta alia exempla dimittam, legitur in vita Ottonis primi Imperatoris Christianiss. ipsum authoritate propria deposuisse Iohannem Pontificem XII. quòd esset pessimus: & si immunitas est de iure diuino, cur Pontifex Hadrianus primus vult vt Carolus Magnus potestatem habeat Romanum Pontificem eligendi, cap. Hadrianus? quod etiam fecit Leo VIII. in gratiam Ottonis primi, vt legitur in eadem distinctione, quæ est 63. in Synodo. Hæc doctrina non solùm est D. Pauli, vt in prima propositione probaui, sed etiam D. Iohannis Chrysostomi, D. Thomæ Aquinatis, Soti, Theologi præstantissimi, distinct. 25. lib. 4. Sentent. Couarruuiæ excellentissimi Canonistæ, cap. 31. Practicarum quæstionum, qui citat pro se Innocentium III. Pontificem, Alciatum, Ferrariensem, Medinam, & alios: atque hi duo Doctores, Sotus nempe & Couarruuias, in particulari hoc negotio magni fieri debent, quoniam vterque post Concilium Tridentinum scripsit: ipsorúmque demonstratio est efficacissima: nam præter affirmatiuam authoritatem D. Pauli, D. Ioannis Chrysost. D. Thomæ, præter ecclesiæ primitiuæ institutum, duo etiam validissima argumenta negatiua adferunt: nempe, Si Clerici & bona Ecclesiastica sint immunia de iure diuino, vbi hoc ius legitur? in quo Euangelio, in qua epistola apostolica, in quo Noui, aut etiam Veteris Testamenti libro? Alterum argumentū est nullum secularem Principem Christianum, qui sui Principatus quieti ac bonæ gubernationi studeat, ad hoc respicere, sed permittere vt Ecclesiastici immuni-

munitatibus iis fruantur, quibus ipse vult eos frui; quibus verò non vult, non permittere vt fruantur. Et quamuis nonnulli per legem humanam Canonem intelligant; nihilominus tamen quantum ex primæ propositionis doctrina colligi potest; Priuilegium Principis debet intelligi, aut consuetudo ab ipso Principe dissimulata, aut Canon receptus; qui non est supra ius diuinum: adeò vt cùm secularis Princeps potestatem habeat in subditos suos de iure diuino; nesciam quî possit hæc potestas eidem imminui, vel è Canone auferri, quod est ius humanum, iuxta tritam Iurisconsultorum regulam, quòd quotiescunque concurrunt duo iura, minus debet cedere maiori.

PROPOSITIO VI.

DVm Venetiarum Princeps, legitimus & naturalis suæ ditionis Dominus, qui alium in temporalibus superiorem nunquam agnouit; Deo excepto, leges constituit de bonis Ecclesiasticis quæ suo Dominio subiacent; ac punit Ecclesiasticos in grauibus & atrocibus delictis, nec non de bonis quæ nondum Ecclesiasticis adscripta sunt, decernit; pro authoritate quam immediatè habet à Deo, quâ se nunquam spoliauit, vel concesso priuilegio; vel canone recepto, imò quam possidet ab immemorabili multorum seculorum; ne dum annorum consuetudine, non peccat. Ratio est, quia, Qui non facit contra aliquam legem, non peccat: minùs debet dici peccare, qui seruat legem, & prætereà; qui retinet quod suum est, non peccat: nec cogi debet vt eorum opinionem sequatur qui immunitatem de iure diuino esse volunt: etenim Christianus omnis

in eligenda opinione quam ſequatur, liber eſt, modò ſit Catholica, quinimò Doctoris alicuius opinionem contra reliquum vulgus amplecti, non eſt peccatum, vt rectè Nauarrus probat in ſuis præludiis: ergo peccatum non erit, D. Pauli, ac tot tantorúmque Doctorum in prima & quinta propoſitione citatorum, doctrinam amplecti: quinetiam, vt verum dicam, eos excuſare nequeo, qui immunitatem Eccleſiaſticam putant eſſe de iure diuino, videntúrque mihi modò nulla ratione nixi, modò parùm oculati, modò nimis temerarij, modò nimis adulatores.

PROPOSITIO VII.

DVm Sereniſſima Reſpublica non eſt rea, nec peccat id faciens quod ſuperiori propoſitione dictum eſt, ſi à ſummo Pontifice Paulo V. in monitorio cenſurarum ab ipſo promulgatarum, excommunicetur, ſi loca ſacra inhibeantur &c. decretum nullius eſt momenti: non ſolùm de iure poſitiuo, quòd ordo à Canone præſcriptus de ſententia excommunicationis in 6. ſeruatus non fuerit, vt in Manifeſto legitur, ſed etiam de iure diuino: nam conditionalis eſt excommunicandi poteſtas, [ſi peccauerit in te frater tuus:] adeò vt vbi nō eſt peccatum, non habeat locum excommunicatio, ſitque decretum aduerſus eum qui non peccauit, vanum ex defectu materiæ; ne quis autem quantumuis hebetis ingenij, putet, Sereniſſimam Rempubl. licèt, vt ſuprà eſt probatum, non peccarit, neque peccet retinendo quod ſuum eſt, peccare nihilominùs dū Pontifici obedire non vult, ac in ſententia ſua permanet: enimuerò in ſententia laudabili conſtantia, non

non est pertinacia, & qui non peccauit, rebellis aut pertinax dici non debet: siquidem qui legem seruat, rem facit sanctissimam & meritoriam, quiq; in iis non paret quæ imperari sibi nequeunt, planè non peccat.

PROPOSITIO VIII.

VErum est D. Gregorium Pontificem dicere, pastoris sententiam iustam iniustámve metuendam esse. Sed hoc ad rem non facit, quoniam inter Iudicis Ecclesiastici sententiam iniustam, & eam quæ nulla est, magnum adest discrimen, vt affirmant doctissimè Nauarrus de Censuris Ecclesiæ, cap.27.& Sotus 4.Sent.distinct. 22. addentes iniustam timeri, sed vanam minimè obseruari debere: quocircà cùm sint nullæ & futiles Censuræ, vt dictum est, à Summo Pontifice Paulo V. promulgatæ, quia sunt instar scripturæ in aqua vel aëre, nimirum sine fundamento & materia, censeo eas nec obseruandas esse, nec quicquam in Ecclesia vestra innouandum: nam licet Nauarrus loco cit. de inualida & futili excommunicatione disserens, hæc dicat, [Sententi, subaudi Iudicis Ecclesiastici, inualida seu nulla, nihil aliud operatur in foro interiori, siue exteriori, quàm quod obligat excommunicatum ad seruandum eam, quoad populus sibi persuadeat, vel persuadere debeat causas nullitatis propter scandalum:] nihilominùs tamen hæc doctrina mihi valdè fauet: Siquidem toti populo Veneto nota est futilitatis causa, & si cui non esset, ex eo quod omnibus edicto suo declarauit Serenissimus Princeps, innotescere deberet: adeò vt non modò non sit scãdalum metuendum, quin potiùs dicam me Religiosos quosdam excusare non posse, qui siue igno-

rantia, alióve prauo affectu peccēt, Ciuitate excedere maluerūt, quàm in sacramentis administrandis pergere, sicuti in publicum & religionis bonum ipsis à Principe iniungebatur : quo quidem facto omnes scandalizarunt, quia ipsi sibi fuerunt lex, nec ab Ecclesia Cathedrali, aliisque omnibus antiquissimis & sanctissimis ordinibus religiosis exemplum sumere voluerunt, quibus cum Christo dicam fore melius vt suspenderentur molæ asinariæ in colla eorum, vt non scandalizarent pusillos istos. Præterea Principis sui naturalis libertatem defendere, qui fouet & conseruat populo pacem, libertatem, religionem, est de iure naturæ, hoc est diuino, & Ecclesiastica decreta sunt de iure positiuo, quod illi cedere debet, multóque magis quando constat de nullitate : vnde quidam hallucinantur existimantes hanc controuersiam esse de fide, cùm sit duntaxat de maioribus, & si quid sit in sacris literis expressum, quod quidem rem de fide constitueret, est Serenissimæ Reipubl. sententia, quæ expressè à D. Paulo docetur: Itaque, mi Domine, perge modò in celebrando, communicando, iisque omnibus faciendis, quæ in Ecclesia vestra ante dictarum Cēsurarū promulgationem fiebant, nō solùm quia te sic statuisse scribis, sed vt scandalum vites, tam quia [sententia nulla, minimè est obseruanda cùm constat de nullitate,] quàm vt te à tuo capite, Principe videlicet non separes, in iurisdictionis controuersiis absque vlla ratione, quinetiam existimo ob eandem causam, eum qui die festo Missæ non interfuerit, peccaturum: nam relinquet eam sine legitima vlla causa, cùm sententia nulla sit, & Missa vbique celebretur. Noli agnosce-

re timo-

re timorem, vbi timor non est: noli trepidare vbi non est timor: ne committe vt dicatur te Principi tuo ac Serenissimæ Reipublicæ, fidem non semper seruasse, [filij matris meæ pugnauerunt contra me:] sed enitere vt apostolico præcepto pareas, [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.] Hæc dico non quòd de constantia tua dubitem, cùm certò sciam te, non minùs aliis omnibus huiusce Ciuitatis, vitæ pro tuo Principe exponendæ paratissimum esse: verùm, vt ipsius causæ æquitas, quæ tibi est manifesta, multò magis hoc meo responso tibi innotescat. Tandem scias velim Dominos Venetos quamuis sub capitali pœna iusserint vt Religiosi omnes apertas habeant Ecclesias, &, vt anteà, in celebratione pergant, hoc non fecisse veritos ne qui sunt bene affecti, verámque doctrinam sequuntur, qui sunt ferè omnes, secus essent facturi quàm fecerint, pergentes in celebratione, diuinorúmque omnium ministeriorum exercitatione: verùm ne quis isthæc vano quodam metu desereret in ea ciuitate quæ semper Catholica fuit, & nunc si aliàs vnquam, se talem profitetur: Ea propter ferre non vult, vt in pietatis exercitiis vlla mutatio appareat, vel vt eorundem intermissio cuipiam sese præcipitandi ansam præbeat, cui malo pro Ecclesiæ conseruatione Princeps omnibus modis de iure diuino mederi tenetur. Multas alias authoritates, & rationes in hoc tractatu pro me adducere potuissem, sed propter acceleratione m quam requiris, & studio breuitatis, eas omitto, amplã huius materiæ tractationẽ mihi reseruans, libro peculiari quem latinè statim in lucem

mittam,de ſuprema Principis ſecularis authoritate. Interim moneo vt ſolidiſſimi Doctoris Nauarri doctrinam legas,qui in omnibus iis quæ ſuperiùs dicta ſunt,pro nobis facit: Speciatim verò cap. nouit de Iudicijs Notab. 3. & in Manuali cap. 27. de Cenſuris, atque ne pericliteris vt in tutiſſimum notabilis illius doctrinæ portũ te recipias, Eccleſiaſticos omnes ſi immunitate quapiam fruantur, ea non frui de iure diuino, ſed ex priuilegio Principum,qui pro ſuo arbitrio dicta priuilegia reuocare, minuere,augere poſſunt, quum id faciendi rationes nouæ adferuntur pro ſubditorum Dominiorum vtilitate, quo pacto Summus Pontifex facit in priuilegiis Indulgentiarum aliarúmque rerum à ſpirituali ipſius authoritate pendentium,quæ ipſe prout libet, modò tollit, modò minuit, modò auget: quia verò doctrina quam attuli, non mea eſt, ſed tota quantacunque eſt è Sanctorum & Catholicorum Doctorum libris hauſta, in eius confirmationem nil aliud in præſentiarum adducam.Dominus noſter te ſoletur.

FINIS.

RESP.

RESPONSIO

CARD. BELLARMINI

AD LIBELLVM

INSCRIPTVM

Reſponſio Doctoris Theologi, ad epiſtolam ſibi ſcriptam à Reuerendo amico ſuo, de Monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pauli V. promulgatarum contra Dominos Venetos.



ROMÆ

Apud Gulielmum Facciottum M. DCVI.

Cum licentia Superiorum.



RESPONSIO CARD. BELLARMINI, AD EPISTOLAM SINE AVTHORIS NOMINE,

De monitorio Censurarum à Sanctitate Pauli V. promulgatarum contra Dominos Venetos.

NOVA isthæc libertas edendi Venetiis libros, sine nomine, sine superioris Ecclesiastici licentia, nec tempore nec Typographiæ loco expressis, manifestum est indicium, inobedientiam cum euidenti fidei periculo, indies magis magisque crescere. Non enim aliam ob causam sacrum generale Concilium Tridentinum sess. 4. sub pœna excommunicationis statuit, ne libri sacris de rebus imprimantur, sine nomine Authoris, sine ordinarij approbatione, eaque in frontispicio libri apposita, quam vt aditus hæresibus occludatur, quæ eiuscemodi libris rectissimo itinere in ciuitates & prouincias introduci solent. Quisquis itaque hoc tempore aspicit Venetias flocci pendere authoritatem sacri Concilij, excommunicationem ab eo comminatam, & præsens periculum hæreseos, augeri porro indies libros erroribus plenissi-

mos, sine nomine authorum, sine vlla approbatione, quid inferat aliud, quam ciuitatem illam peste & lue hæretica (quæ non solum animæ, cui fundamentum salutis aufert perniciosa, sed etiam totius status perturbatio, & ruina est) sensim breuíque tempore infectum iri. Sed quia hac rerum conditione aliud remedium & efficacius adferre non possum, illud quamquam exiguum non intermittam, & refutabo eius farinæ libellos, qui ad manus meas peruenerint, sperans alios & me doctiores idipsum facturos, & quò non peruenerit vna responsio, perueniet alia, & eodem sanctæ charitatis spiritu fratribus nostris opitulari conabimur, orantes omnipotentem Deum, vt oculis misericordiæ aspicere velit eos, qui se iusto eius iudicio in sensum reprobum datos ostendunt.

Incidit in manus meas libellus cuiusdam, qui se Theologiæ Doctorem nominat, & respondet, aut saltem fingit se respondere amico cuidam sacerdoti, à quo interrogatus fuerat, an censuræ à Paulo V. aduersus Venetos publicatæ validæ an inualidę sint, & vtrum non obstantibus istis, liceat sibi in sua Ecclesia celebrare diuina mysteria, administrare sacramenta, prout antea solitus fuerat. Respondet vero, supradictas censuras & nullas & inualidas esse: ac proinde sacerdotes Venetos, & alios eiusdem dominij, posse vt antea solebant, illæsâ conscientiâ operari sacris, diuina officia peragere, administrare sacramenta. Quo vero procedat Theologicè (vt ipse infit) reuocat totã hanc materiam ad octo propositiones. Has singulas fideliter proponemus, & ad singulas subiungemus responsionem, occasionem daturi hominibus iudicio præditis, vt considerent,

derent, Theologus ne ſit Doctor iſte, an potius ſeductor:& vt conqueri nequeat, à nobis aliquid prætermiſſum eſſe, verba quoque ipſius ſubiungemus.

PRIMA PROPOSITIO AVTHORIS.

[Poteſtas quam habent Principes ſæculares, immo & ipſe Pontifex tanquam Princeps temporalis ſtatuum & prouinciarum, quas poſſidet, eſt ipſis à Deo immediatè abſque vlla exceptione conceſſa. Pro intelligentia & explicatione huius propoſitionis aduertendum eſt, de iure gentium dominium & ſeruitutem, imperium Principis, & obedientiam ſubditi, quattuor modis introducta eſſe, ſcilicet electione, hęreditate, donatione, aut iure belli; ideoque omnes ij Principes, qui vno quattuor horum modorum ad thronũ principatus euecti ſunt, aut eum hoc tempore poſſident, legitimi & iuſti ſunt domini. Tales dico qui poteſtatem habent à Deo imperandi, condendi leges, exigendi tributa, iudicandi, plectendi & caſtigandi ſubditos abſque vlla exceptione.]

RESPONSIO.

Prima hæc propoſitio euidentiſſimos duos errores continet. Primus eſt in verbo immediatè, ſecundus in alio, ſine exceptione. Ordiar à ſecundo, quia manifeſtior eſt. Si verbum hoc ſine exceptione intelligatur, ſine exceptione ſubditorum erronea eſt. In clericos enim, Principes ſæculares poteſtatem non habent, cum ad minus iure humano ſint exempti, ſententia omnium authorum Catholicorum, licet etiam exempti ſint iure diuino, vt inferius dicemus. Si autem intelligatur ſine exceptione poteſtatis, propoſitio hæretica eſt, nulla enim poteſtas

est Principis vllius Christiani, quæ potestati vicarij Christi aliquo modo subiecta non sit, cùm vicarius Christi sit pastor vniuersalis, caput omnium Christianorum, siue Principes ij, siue priuati sint. Si intelligatur sine exceptione rerum & negotiorum, propositio similiter hæretica est, secundum enim sacras scripturas, sacrorum Conciliorum decreta, res spirituales laicis subiectæ non sunt, sed solum Ecclesiasticis conueniunt hac in re omnes Doctores, tam Theologi quam Canonistæ. Adeo nunc alium errorem in verbo immediate. Hoc verbum bifariam intelligo: semel quod Principes, in quantū superiores habeant potestatem imperandi suis subditis, h.e. quod imperium obedienciæ sit immediatè à Deo, & hoc verum est, & à nemine negatur, neque enim superior erit, si imperare nequit, nec subditus, si ad obsequendum & obediendum non sit obligatus: hoc Deus in scripturis sacris iubet, hoc lumen naturale dictat, vt quilibet subditus obediat suo superiori. Secundo quòd Principes sæculares habeant à Deo immediatè pro subditis, hos aut illos populos v.g. Rex Christianissimus Gallos, Rex Catholicus Hispanos, Respublica Veneta, Venetos, & consequenter potestatem habeant in hos populos. Et hoc falsum est manifestè, & ipse huius libelli author ex propriis suis verbis hoc ipsum fateri cogitur. Declarans enim, suam propositionem ait, quatuor modis acquiri principatus, electione, hæreditate, donatione, & iure belli, hoc est titulo iusti belli. Certum est autem hos titulos non esse diuinos, sed humanos. qui igitur hisce modis acquirit dominium & potestatem in hos vel illos populos, non habet potestatē à Deo immediatè, sed interueniente

te

te electione, vt Imperator aut Rex Poloniæ, aut successione hæreditaria, vt Hispaniæ, & Franciæ Reges, aut donatione, vt sunt Feudatarij Principes, aut bello iusto, vt olim Godefridus & alij Domini terram sanctam acquisierunt. Ac proinde qui à Rege Christianissimo sciscitaretur: quo iure Franciam possideat, non respondebit iure diuino, sed titulo successionis hæreditariæ, & qui Ducem Venetum rogaret, quo titulo suum principatum obtineat, non respondebit iure diuino, sed titulo electionis humanæ. Fit hinc conspicua differentia inter principatũ Ecclesiasticum Papæ, & principatum Principum sæcularium & politicorum: quod Papa non solum titulo communi à Deo ordinato, vt superiores subditis suis imperent, præcipere & imperare possit, sed à Deo illi immediatè concessum sit, omnes Christianos pro subditis habere: & licet Papa à Cardinalibus eligatur, nihilominus ab ipsis potestatem non habet, sed à Deo, qui Petro, & in ipsius persona, omnibus successoribus eius dixit: Pasce oues meas. Quod quidem euidentissima ratione demonstrari potest. Papa enim à primatu apostolico, nullam prouinciam, nullam ciuitatem, aut personam alienare potest, nec fieri potest, vt verus sit Papa, & non sit superior omnium Christianorum, & hoc ideo quia titulus potestatis suæ diuinus est. Reges autem & Principes possunt suos perdere, aut omnes, aut partem eorum, alienare ciuitates aut prouincias, alterive Principi subiicere, atque ita amittere potestatem, in has aut illas ciuitates & prouincias, quia titulus potestatis eorũ non est diuinus, sed humanus. Similiter nemo potest pontificiam potestatem imminuere, siue illud Collegium Cardina-

lium, siue Concilium generale, siue ipse Pontifex sit, cum enim potestas papalis à Deo originem trahat, immediatè arbitrio creaturarum subiecta non est. Contrarium videre est in Principatibus sæcularibus, sæpius diminui eorum potestatem, nonnunquam à populis, nonnunquam à Principibus superioribus, atque hunc in modum principatus monarchici, Respublicæ liberæ fiunt; & è contrario Respublicæ liberæ principatus monarchici; & hoc solum quod potestas horum non à Deo immediatè, sed ab hominibus descendat. Et si Principes sæculares non habent potestatē à Deo immediatè in laicos, multo minus in clericos habebunt, qui vt mox dicemus iure humano & diuino exempti sunt. Vera igitur propositio hæc erit. Principes sæculares non habēt potestatem à Deo immediatè in laicos sibi subditos, sed per viam iusti tituli humani, in clericos autem in eorum districtibus habitantes, nec diuinam, nec humanam habent.

AVTHOR.

[Hæc doctrina non est mea, sed S. Apostoli Pauli, in epistola ad Romanos c.13. imo ipsiusmet Spiritus sancti, qui per os eius locutus est, & penna eius scripsit. Verba autem Apostoli hæc sunt: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo. In expositione huius loci S. Chrysostomus sic loquitur: Fecit hoc Apostolus, vt ostendat Christum, leges suas non ad hoc induxisse, vt politicas euertat, sed vt ad melius instituat, ostendens quod istæ omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus non solum sæcularibus, id quod statim in initio declarat: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiamsi Apostolus

ſtolus ſit, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue tandem quiſquis fueris; nec tamen pietatem ſubuertit hæc ſubiectio.]

RESPONSIO.

Authoritas S. Pauli c. 13. epiſt. ad Romanos loquitur de poteſtate vniuerſali, & docet diuinum ordinem eſſe, vt ſubditus obediat ſuperiori, non autem docet Principes ſeculares iure diuino immediatè ſubiectas habere, has vel illas perſonas. Et veriſſimum eſt, omnem poteſtatem à Deo eſſe, ſed quædam eſt immediate à Deo, qualis erat Moyſis & Aaronis, & hoc tempore Papę: quędam vero mediante ſucceſſione, aut electione aut alio titulo humano. Ad teſtimonium Sancti Ioannis Chryſoſtomi, ſupra Paulum reſpondeo: Sanctum Chryſoſtomum non dicere, Sacerdotes & Monachos, ob authoritatem S. Pauli obligatos eſſe ad obediendum Principibus ſæcularibus; ſed ſuis ſuperioribus, qualeſcunque ij ſint. Verum tamen eſt Eccleſiaſticos obſeruare debere leges illas ciuiles, quæ contrariæ non ſunt Eccleſiaſticis, & ob commercia laicis & clericis communia, neceſſariæ ſunt; ſic enim ſcribit Papa Nicolaus ad Imperatorem, in negotiis rerum ſæcularium, ſiue temporalium Eccleſia vtitur legibus Imperialibus, nihilominus ad hanc obſeruantiam legum Principum ſæculariũ Eccleſiaſtici obligati ſunt tantum, quantum ad directionem, non quantũ ad vim, ſcilicet vi rationis non legis. Exempli gratia. Si Princeps ſæcularis pretium frumentis ſtatuit, obligati ſunt Eccleſiaſtici illud, pretio à Principe conſtituto, venundare, & emere, non quod hac lege teneantur, ſed quia obligati ſunt ad emendum & vendendum illud iuſto pretio, & in hoc loco

ratio dictat, illud esse pretium iustum, quòd à Principe est constitutum. Si autem casu Ecclesiasticus aliquis eam legem non obseruet, ideo non est vocandus ad iudicium, nec puniendus à Principe laico, cuius subditus non est, sed solum à superiore Ecclesiastico.

AVTHOR.

[Vnde in antiqua lege, licet Leuitæ habuerint Sacerdotem summum, id est, Aaronem, nihilominus in negotiis & iudiciis temporalibus subiiciebantur, Moysi Principi temporali eorum, vt bene probat Couarruuias.]

RESPONSIO.

Moyses erat summus Sacerdos vna cum Aarone, & per extraordinariam dispositionem maior erat ipso Aarone. Et quamuis Couarruuias sit contrarius, plus sacræ scripturæ, & Sanctis Patribus ea in re credere oportet, quam Couarruuiæ, qui in materia præsertim iurisdictionis nimis partialis visus est. Psalm. 98. dicitur aperte; Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, id est, Moyses & Aaron erant Sacerdotes Dei. Exodi c. 40. offert Moyses Deo incensum, quod principale erat officium summi Sacerdotis; Leuitici c. 8. consecrat Moyses, vt summus Sacerdos, fratrem suum Aaronem, filiósque eius Sacerdotes consecrat, sacrificiúmque in eorum consecratione offert. Vnde doctissimus Philo Hebræus de vita Moysis l. 3. sub finem ait, Moysen & Pontificem, & Regem; & Prophetam fuisse. S. Gregorius Nazianzen. oratione habita coram Gregorio Nysseno, ait; Moyses Sacerdos erat Sacerdotum, & Princeps Principum. Et S. Augustinus q. 23. in Leuiticum, dicit ambos, Moysen & Aaronem Sacerdotes fuisse.

Idipsum

Idipſum repetit tractatu in Pſalm.98. Ita etiam S. Hieronymus l.1. contra Iouinianum, & ante hos omnes Dionyſius Areopagita c.5. de Ierarchia Eccl. Atque ita cùm Moyſes ſummus Sacerdos fuerit, mirũ non eſt Leuitas,qui ea ætate Eccleſiaſtici erãt, ei tanquam proprio iudici ac capiti fuiſſe ſubiectos.

AVTHOR.

[Et in primitiua Eccleſia non fuit diſtinctio fori. Fuit enim Iuſtinianus Imperator primus, qui ad preces Epiſcopi Conſtantinopolitani Eccleſiaſticis conceſſit, vt in cauſis ciuilibus à ſuis Prælatis iudicari poſſint, ipſo tamen non impedito, quo in caſu & in delictis criminalibus permittit,vt Eccleſiaſtici ſubiecti ſint Principi, & miniſtris Principis temporalis,vt videre eſt in conſtitutione nouella Iuſtiniani Imperatoris.]

RESPONSIO.

Omnino contrarium reperio in ſcriptura & ſacris Conciliis:tempore enim primitiuæ Eccleſiæ S. Paulus demõſtrat quod Epiſcopus habeat ſuum tribunal, & iudicet ſuos ſubditos Eccleſiaſticos, vt ex verbis c.5.primæ epiſt.ad Timoth.Epiſc. Epheſinũ apparet: aduerſus Presbyteros accuſationem, noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus. Et in Cõcilio generali Calcedonenſi,quod antequã natus fuit Iuſtinianus Imperator, celebratũ eſt canone 9. ita habetur.Si clericus aduerſus Clericum habet negotium non relinquat Epiſcopum ſuum, & ad ſæcularia iudicia non recurrat. Qua fronte ergo dicit nouus hic Theologus in primitiua Eccleſia fori diſtinctioné nõ fuiſſe, & Iuſtinianũ Imp.primũ permiſiſſe Eccleſiaſticis, vt à ſuis iudicari poſſint prælatis? Neq; ſolũ Calcedonenſe Cõcilium, ſed etiam

Agathēſe can.32.idipſum docet: Clericus ne quemquam præſumat, apud ſæcularem Iudicem Epiſcopo non permittente pulſare,& ſi pulſatus fuerit, nō reſpondeat,nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari proponere,& concilium 3.Carthaginēſe, cētum triginta annis temporibus Iuſtiniani Imperatoris antiquius,canone 4.Item placuit,quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ſeu Clericorum, ſi derelicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis purgari noluerit,etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat,& hoc in criminali actione: in ciuili vero perdat quod euicit, &c. Concilium Mileuitanum ſimiliter antiquiſſimum, vti Carthaginenſe quoque can.19. dicit; placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorū petierit, honore proprio priuetur.Ecce quam falſum ſit,à tempore primum Iuſtiniani factam eſſe fori diſtinctionem.Verum quia Iuſtinianus magnam ſibi vſurpabat authoritatem in iudicandis negotiis Eccleſiaſticorum, ideo Menna Patriarcha Conſtantinopolitanus petiit ab Imperatore vt ſaltem Epiſcopis permitteret cognitionem cauſarum ciuilium, quod Imperator indulſit. Et verum eſſe Iuſtinianum nimiam ſibi vſurpaſſe authoritatem clarè apparet, quia non ſolum auſus eſt clericis leges præſcribere in negotiis temporalibus,ſed etiam in ſpiritualibus, vt legenti titulum de ſanctiſſimis Epiſcopis, & alium de ſacroſanctis Eccleſiis clarum fiet. Et multo dilucidius hac de re nomocanon Photij; cum tamen omnes Theologi, & Canoniſtæ,quin & ipſe Couarruuias,doceant,iudicia negotiorum ſpiritualium, iure diuino ſolum ad Epiſcopos & Pontificem Summum tanquam ſupre-

supremum Iudicem pertinere. Vnde non solùm ante, sed etiam post Iustiniani tempora, prohibent Concilia clericis, ne se à iudicibus sæcularibus iudicari permittant, vt videre est in Concilio Toletano tertio, canone 13. & aliis. Atque vt quilibet cognoscat, quam exiguum & fragile fundamentum, tum in ea constitutione nouella 83. (non 85. vt male author citat) struatur, attendendum est, Imperatorem in ea ipsa constitutione dicere, iudicem secularem, non posse punire Ecclesiasticum, nisi prius ab Episcopo dignitate clericali spolietur; & vtitur hisce verbis: prius hunc spoliari à Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate conuenit, & ita sub legum fieri manu. Si igitur Ecclesiasticus non est sub manu legum, id est, subiectus non est legibus sæcularibus, nisi prius ab Episcopo degradetur, quomodo igitur à Iudice sæculari iudicari potest, quamdiu clericalem dignitatem retinet. In ea etiam constitutione, ait is ipse Imperator. Leges imperiales non dedignari sacros canones. Cum igitur sacri canones decreuerint, Ecclesiasticos iudicandos esse à suis superioribus, quomodo poterit obseruari ea constitutio, quæ contrarium determinat? Adiungo demum, tam iniquam iudicatam fuisse hanc Iustiniani determinationem, vt Fridericus Imperator hanc & alias libertati Ecclesiasticæ contrarias Iustiniani constitutiones reuocarit. Ita enim legimus in prima eius constitutione. Sane infidelium quorundam & iniustorum adeo abundauit iniquitas, vt non dubitent contra Apostolicam disciplinam, & sacros Canones statuta sua confingere contra Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem. Et paulo inferius: Item statuimus, vt nullus Ecclesiasticam per-

ſonam in eriminali vel ciuili quæſtione; trahere ad iudicium ſæculare præſumat contra conſtitutiones imperiales & canonicas ſanctiones. Quod ſi fecerit actor à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat, & iudex ſit tunc iudicandi poteſtate priuatus. Et multo ante Fridericum Imperatorem Baſilius annullat legem quandam Nicephori Imperatoris contra libertatem Eccleſiaſticam, dicens ex ea lege infinitas calamitates Reipublicæ contigiſſe. Legatur Balſamon in Nomocanonem Photij, vbi primum Canonem Concilij primi & ſecundi Conſtantinopolitani declarat, & hæc ad authoritatem Iuſtiniani dicta ſufficiant.

AVTHOR.

[Nec ideo quia Conſtantinus Magnus Imperator, cum ei proceſſus nonnulli oblati fuiſſent, aduerſus perſonas Eccleſiaſticas, hæc verba dixerit, *vos à nemine iudicari poteſtis*, *quia ad Dei iudicium reſeruamini*, vt ſcribit Gratian. cap. Futuram. 12. quæſt. 1. inde colligi debet, Eccleſiaſticos Principi ſeculari ſubiectos non eſſe. Fuit enim hic exceſſus aliquis Imperatoris, vt ſe erga Eccleſiam, pium & benignũ oſtenderet, non quod reipſa ita ſentiret. Si enim verum eſſet, quod Cõſtantinus dixit, nec à ſuis Prælatis Eccleſiaſtici iudicari poſſent, dicendo ad Dei iudicium reſeruamini, qui error grauiſſimus eſſet.]

RESPONSIO.

Eximiam ſanè laudem Conſtantino Imperatori hic author attribuit, vt enim benignum & pium faciat, mendacem facit. Sed vt appareat quam hæc verba Cõſtantini pio Principe digna ſint, adſcribemus de verbo ad verbum id, quod ſcribit Ruffinus l. 10.

l.10. histor. Ecclesiastic.c.2. Dixit Constantinus ad Episcopos, Deus vos constituit Sacerdotes, & dedit vobis potestatem iudicandi nos, vos autem ab hominibus iudicari nõ potestis, ideo inter vos exspectate iudicium solius Dei, & quæstiones vestras reseruate ad illud examen: vos enim nobis tanquam Dij dati estis, & non est conueniens, vt homo iudicet Deos, sed solus ille de quo scriptum est. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vbi notandum est, quod quemadmodum Principes sæculares Dij dicuntur respectu populi, vt paulò inferius videbimus ita Sacerdotes Deos esse respectu Laicorum etiam Principum, vt ait hic Constantinus, & ex hoc fundamento optime colligit Imperator, Sacerdotes posse iudicare, Imperatores autem non posse iudicare Sacerdotes. Si Imperator mundi, fatetur, se Sacerdotes pro Diis venerari, seque eos iudicare non posse, iudicari autem ab illis debere, quanto magis hoc verbis & facto fateri deberet Dux Venetus? Nec vero ex hoc sequitur Sacerdotes non posse iudicari à suis Prælatis, sed potius contrarium. Superior enim semper Dei nomine & authoritate iudicat, à quo habet potestatem, immo Deus ipse mediantibus ministris iudicat. Atque ita dum Episcopus iudicat Ecclesiasticum inferiorem, aut Papa Episcopum, Deus est qui per ministrum suum iudicat. Ad hunc modum Cõstantinus ait, Episcopos, quia Dij sunt respectu laicorum, nõ posse iudicari à laicis, qui homines sunt, & non Dij, respectu Sacerdotum.

Verum quod Deus solus iudicare debeat Episcopos, illud intelligitur mediantibus eis Vicariis. Quemadmodũ etiam Principes sæculares respectu

hominum priuatorum, non possunt iudicari ab hominibus priuatis, sed solum à Deo mediantibus suis Vicariis, quales sunt Sacerdotes, & ideo Deus dicitur respectu Principis sæcularis, atque ita Moysi dixit Deus: Feci te Deum Pharaonis, vt ipsum iudices & castiges. Et quod verissimè Constantinus crediderit Papam Episcopos iudicare posse, apparet in negotio Cæciliani Episcopi Carthaginensis à Donatistis accusati, quem Constantinus non fuit ausus iudicare, sed remisit eum Romam ad Papam Melchiadem, & licet sub finem ipse etiam Constantinus Imperator eandem causam iudicauerit, fecit hoc tantum ad confundendum Donatistas, & animo petendi veniam ab Episcopis, quod necessitate coactus in eam causam se immiscuerit, vt scribit Optatus Mileuitanus l.1. contra Parmenianum, & S. Augustinus epist.48.& epist.162.& aliis.

AVTHOR.

[Sunt igitur omnes, Ecclesiastici, & Sæculares, iure diuino subiecti Principibus sæcularibus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ratio autem est, quemadmodum enim nemo exceptus est ab obedientia Deo debita, ita nemo quoque exceptus est ab obedientia debita Principi, subiungit enim Apostolus, Omnis potestas à Deo est. Vnde Reges & Principes sæculares à Dauide Propheta Dij nominantur: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vt enim explicat Iosaphat Rex Paralip.2.capit. 19. Iudices sæculares non hominum sed Dei iudicia exercent. Hunc ipsum locum de Principibus sæcularibus loquendo citat Christus Ioannis 20.& confirmat

firmat illis conuenire nomen Dei : Si illos dixi Deos, ad quos sermo Dei factus est, vt doctè notat Cardinalis Ballarminus c.3. de laicis.]

Responsio.

Si contrarium concluderetur ; nempe non sunt igitur Ecclesiastici, nec Sæculares de iure diuino subiecti Principi sæculari, sed sæculares solum de iure humano, Ecclesiastici vero nullo, optime ex præmissis deduceretur hæc conclusio, demonstrauimus enim, Principes superiores euasisse, huius, vel illius populi iure humano non diuino. Et si hoc verum non est, ostendat aduersarius locum aliquem scripturæ, ex quo colligi queat, Venetos, Paduanæ, Veronensis & aliarum similium ciuitatum Dominos esse, & si de regno Cyprilis agitaretur, quem titulum allegabunt? forte textum aliquem scripturæ? certum est eos non allegaturos alium, quam vel titulum donationis, vel antiquæ possessionis, aut similes res humanas. Et si nequeunt probare titulum in laicos Paduanos & Cyprum esse iuris diuini, quando monstrabunt illum in Ecclesiasticos sibi competere. Verum vlterius pergo & assero, de iure diuino omnes laicos etiam Principes subiectos esse sacerdotibus, & ex ipso iure diuino, sacerdotes non esse subiectos Principibus laicis : vt paulo superius confessus est Constantinus Imperator. Quia secundum scripturam sacram, quæ est ius diuinum positiuum, sacerdotes sunt Pastores, laici autem etiam Principes oues sunt: sacerdotes patres sunt, laici autem filij: & secundum lumen naturale, quod est ius diuinum naturale, ouicula subiecta est pastori, pastor autem non est subiectus ouiculæ : filius subie-

ctus est patri, pater autem non est subiectus filio. Et elegantissima est comparatio, quam instituit inter potestatem Ecclesiasticam & sæcularem Gregorius Nazianzenus, oratione ad populum timore perculsum, & Principem irascentem, quam sequuntur communiter sacri Theologi, & talis est. Quod quemadmodum in homine ratio & caro est, quę simul vnitæ componunt hominem, ita in sancta Ecclesia est potestas Ecclesiastica siue spiritualis, & potestas sæcularis siue temporalis, ambæ componunt corpus mysticum Ecclesiæ. Et quemadmodum in homine ratio superior est carne, caro autem superior ratione non est, nisi quando ei rebellis est, ratio manu ducit & regit carnem, eidemque imperat, quandoque eandem ieiuniis & vigiliis domat & castigat: caro autem nec ducit, nec regit, nec imperat, nec castigat rationem: ita potestas spiritualis superior est sæculari, atque ideo eam potest ac debet dirigere, regere, eidémque imperare, & pœnas infligere, dum malè operatur. Potestas autem sęcularis spirituali superior non est, neque eam dirigere nec regere potest, nihil eidem præscribere, nihil pœnæ infligere, nisi de facto per rebellionem & tyrannidem, vt quandoque etiam Principes gentiles & hæretici fecerunt. Ad authoritatem S. Pauli respondimus supra, & verum est, omnem potestatem à Deo esse, sed immediatè, aut mediatè, & quemadmodum nemo exceptus est ab obedientia debita Deo, ita nemo exceptus est ab obedientia debita Principi, quando subditus est eius Principis, & in rebus in quibus subditus est. Verum est etiam Principem in quantum Princeps est, locum Dei tenere, ac proinde illi ceu Deo obediendum esse in

rebus

rebus ad suam potestatem pertinentibus, vt ait S. Paulus in Epist.ad Ephes.cap.vlt.Serui obedite Dominis carnalibus sicut Christo. Et Cardinalis Bellarminus,quando scripsit,Principes sæculares vocare Deos in scriptura,fecit id ad confundendum hęreticos Anabaptistas, qui docent,in Ecclesia Dei non admittendos esse Principes sæculares, nec tribunalia,nec iudicia,neque similes status politicos. Et ipse is author,quemadmodum dixit, Principes sæculares respectu suorum subditorum Deos esse, ita quoque dixit, Sacerdotes Deos esse respectu Principum sæcularium. Videatur caput 7.lib. 1. de summo Pontifice,& alia similia loca:atque ideo si author voluisset imitari Cardinalem Bellarminum, debuisset vti doctrina sua aduersus hæreticos,& nō contra Ecclesiam,sugendo venenum, ceu araneus ex flosculo,vnde apes mel exsugunt.

AVTHOR.

[Pergit Apostolus,& dicit:Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.Ecce authoritatem, quam habent Principes sæculares,condendi leges in quacumque materia, quæ obligent omnes personas. Qua in re conformiter loquitur prouerbiis Salomonis,vbi Deus sic ait:Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Hinc factum est, vt Christianissimi Imperatores,Iustinianus & Theodosius in codice multas leges,ad Ecclesiasticos,bona & disciplinam Ecclesiasticam pertinentes statuerint,sub titulis,de episcopis & clericis, de sacrosanctis Ecclesiis. Hisce legibus iubet Apostolus obediendum esse,non resistendum,qui e-

nim talibus resistent, ipsi sibi damnationem acquirunt, id est, committunt peccatum mortale, in quo si moriuntur, æternis barathri flammis asscribentur, &c.

RESPONSIO.

Mirabilis est logica huius hominis, qui ex non locis conclusiones deducit. Et vbi vnquam Apostolus inquit, Principes sæculares posse statuere leges in quacumque materia, & quæ singulas personas obligent. Poterunt igitur Principes seculares statuere leges, de modo dicendi Missam, & officium diuinum, obligare sacerdotes, vt vxores ducant, & inuicem Breuiarij arma portent, & erunt omnes obligati ad obediendum, cum habeant potestatem statuendi leges in qualibet materia, quæ obligent singulas personas. Et quando Principes sæculares præcipiebant, vt omnes negarent Christum, sacrificarent Idolis, obligati erant Christiani sub pœna peccati mortalis obedire, dum enim Paulus præcipiebat, obediendum esse Principibus, Principes omnes infideles erant, & iuxta doctrinam noui huius Interpretis, ex præcepto Pauli deducitur, Principes sæculares habere potestatem condendi leges in qualibet materia, quæ omnes obligent. Nonne aduertis quot errores subpullulent ex verbis tuis? & nihilominus adiungis, conforme hoc esse prouerbiis Salamonis non aduertens Salamonem contrarium planè asserere. Quia dum introducit sapientiam diuinam loquentem. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Docet manifestè, solum leges iustas à sapientia diuina deriuari, alias verò, quas sæpius Principes in rebus ad se non

non pertinentibus, aut in perſonas non ſubiectas, aut alio titulo iniuſtas ſtatuunt, à ſemetipſis facere, nec à Deo approbari. Ad hoc quod adiungit Iuſtinianum ac Theodoſium ſtatuiſſe leges ad perſonas Eccleſiaſticas, bona & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes, reſponſum eſt, eos hac in re exceſſiſſe limites ſuæ poteſtatis. Et quando addis Apoſtolum velle huic legi obediendum eſſe, euidentiſſimam & grauiſſimam falſitatem dicis. Loquitur enim Apoſtolus vniuerſaliter, vt ſubditi obediant ſuperioribus, & quando paulo inferius adducit exemplum Principum ſæcularium, loquitur de Principibus, qui tunc infideles erant, atque adeo intelligi nō poteſt, Apoſtolū velle Chriſtianos obedire eiuſcemodi Principibus, ſi loquamur de legibus ad cultū diuinum, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus, ſed ſolum in legibus ciuilibus, & de rebus temporalibus, quibus legibus oportebat Chriſtianos obedire, vel ad euitandum ſcandalum, vel ad ſeruandam pacem & vnionem, ne videlicet gentiles ſibi perſuaderent legem Chriſtianam gubernationi politicæ contrariam eſſe, &c.

AVTHOR.

[Vlterius præcipit Apoſtolus ob omnibus dandum eſſe tributum, qui enim Principi tributum dat, Deo dat, cui vectigal vectigal, cui tributum tributum. Sunt enim miniſtri Dei ad tributa. Quem locum explicās Angelicus Doctor, S. Thomas Aquinas Magiſter omnium Theologorum, ſol vnicus ſcholæ Chriſtianæ, dicit, quod ſi clerici à tributo liberi ſunt, hoc eos non habere iure diuino, vt quiſ-

quiſpiam ſibi perſuadere poſſet, ſed ex priuilegio Principum, & loquitur de Principibus ſecularibus. Demum, de authoritate Principis cum S. Paulo concludo: Non enim ſine cauſa gladium portat. Ecce authoritatem Principis ſæcularis, vt poſſit punire pœna ſanguinis. Quā quia Prçlati nō habent à Deo, ideo poſtquam malefactores clericos degradarunt, & dignitatis clericalis inhabiles declararunt, vltra non pergunt, ſed extrema morte afficiendos ſæculari brachio tradunt. Et ne quiſpiam arbitrari poſſit, verba eius conſilium & non præceptū continere ad ſtabilienda & confirmanda hæc omnia, adiungit Apoſtolus. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, nō ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ità vt ex conſcientia quoque in rebus omnibus ſupra dictis à S. Apoſtolo inſtructi teneamur obedire Principibus ſæcularibus.

RESPONSIO.

In his verbis primo notandum eſt, authorem pro placito & arbitrio ſuo ſcripturas effingere aut corrumpere. Nullibi enim in S. Paulo inuenitur ea ſententia: Sunt enim miniſtri Dei ad tributa, nec etiā altera, Dei enim miniſter eſt ad vindictam. Etſi bene eius vltimæ ſenſus adſit, nihilominus citanti ſcripturas licitum non eſt, eas mutare, aut alterare, ſi non eſt imperfectus ſenſus, vt eſt illius. Sunt enim miniſtri Dei ad tributa. S. Paulus enim non dicit Principes miniſtros Dei eſſe ad recipiendum tributum, ſed ad procurandum publicam quietem, ita enim S. Chryſoſtomus, & alij Sancti hæc verba exponunt: Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.

uientes. Nec S. Thomas in quo author totam vim ſuam ponit, contrarium docet: ait enim tributum veluti ſtipendium eſſe, quod Principibus datur pro labore, quem habent in gubernandis populis: & certum eſt ſtipendium non dari Deo, atque ideo non ſunt Principes miniſtri Dei ad recipiendum tributa, ſed ad gubernandum populos. Vnde quando S. Thomas ait, hoc ipſum, id eſt, pro ipſo, non ſignificat pro Deo, ſed pro recipiendo tributo ſeruientes, vbi author deceptus eſt. Quantum ad illud, quod poſtmodum author citat S. Thomam, ad probãdum, Eccleſiaſticos priuilegiis Principum exemptos eſſe à tributo dando. Hoc ipſum verè dicit S. Thomas, & congruenter hiſtoriis, vt paulo inferius dicemus. Illud autem non dicit S. Thomas, quod ipſi author adfingit, eos iure diuino hoc priuilegium non habere, ſed potius contrarium, docet enim S. Thomas Principes ſuis priuilegiis exemiſſe Eccleſiaſticos à tributo, quia hoc æquitati naturali conſentaneum erat, volens dicere, in hoc Principes ius naturale, quod ſimiliter diuinum eſt, confirmaſſe. Quantum ad vltimum, quod hic author neget, Eccleſiam habere poteſtatem puniendi pœna mortis, neſcio ſimilia vbi legerit, niſi forte apud hæreticos VValdenſes, Huſſitas, Marſilium de Padua, & eiuſmodi farinæ homines, qui neu trum gladium Eccleſiam negabant habere. Verum eſt, Eccleſiam materiali gladio non vti, nec reos pœna mortis afficere, verum non ideo quod nequeat, ſed quia manſuetudini Eccleſiaſticæ conſentaneum nõ videtur, atque ideò eiuſcemodi delinquentes ad iuſtitiam ſæcularem remittit. Attende, ſi velis, San-

ctum Bernardum l. 8. de consideratione ad Eugenium sic loquentem. Vterque ergò Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius,& materialis, sed is quidem pro Ecclesia,ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis,is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis & iussum Imperatoris. Hoc est, vterque gladius & spiritualis & materialis Ecclesiæ, sed spiritualem Ecclesia manu sacerdotis,materialem autem manu militis,sed ad nutum sacerdotis exercet. Et hanc doctrinam Sancti Bernhardi authenticauit Papa Bonifacius in extrauaganti, vnam sanctam de maioritate & obedientia. Finit author dicens,Sanctum Paulum,dum ait,obediendum Principibus,non cõsilium,sed præceptum dedisse: quod verum est,sed intelligi debet modo supra explicato,obedire nempè eos debere Principibus,qui sunt subiecti iusto titulo, & in negotiis iis, ad quæ eorum authoritas se extendit,vnde sequitur, Ecclesiasticos non esse obligatos ab obediendum Principibus sæcularibus,sunt enim exempti, sed solùm laicos,& hoc quidem in negotiis ciuilibus & Deo non contrariis. Ex quibus videre licet,quãtùm hoc tempore Deum offendat Respublica Veneta, quæ non solùm Ecclesiasticos in carceres coniicit, sed pariter laicos & Ecclesiasticos vi constringit, ne summi Pontificis interdictum obseruent, cum negotium hoc merè spirituale sit & Ecclesiasticum.

Propositio Secvnda Avthoris.

[Christus Saluator noster licet tanquam filius Dei æqualis Patri, Rex sit Regum,& Dominus dominantium, nihilominus cùm vestitus esset carne nostra

nostra mortali, nec ante mortẽ nec post sanctissimã eius resurrectionẽ, vnquã exercuit potestatẽ Principis tẽporalis. Non habuit regnũ temporale, vt dixit ad Pilatum: Rex es tu? tu dicis, respõdit. Verùm aduerte, licet Rex sim, nihilominus regnum meum non est de hoc mundo, id est, temporale. Ideò quando populi illi ab eo miraculosè quinque panibus & duobus piscibus pasti, eum Regem facere volebant, aufugit, ne raperent, & facerent eum Regem. Nec iudicare voluit, vnde cupientibus, vt sententiam in quadam eorum controuersia ferret, &c. respondit: Quis me constituit iudicem supra vos. Imò ministrum Cæsaris Pilatum pro suo iudice agnouit. Nõ haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper, vt notat S. Thomas in epistola ad Romanos.

RESPONSIO.

Hæc secunda propositio non est ad propositum præsentis negotij, in quo non de regnis temporalibus, sed de Ecclesiasticis sermo est, & solũ valet ad significandũ peruersum animũ & errores authoris. Dico igitur verum esse, quod Christus, in quantum homo mortalis, non exercuerit in hoc mundo potestatem Principis sæcularis, venit enim, vt ipse ait, pati & seruire, mundum docere, rerum temporalium & honorum contemptum, & exemplo humilitatis & obedientiæ, monstrare superbis & inobedientibus viam paradisi. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionẽ pro multis, Matt. 20. Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet, Lucæ 9. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, Matth. 11. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui pro-

pter nos egenus factus est,cum esset diues.2.Corint. 10.Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem,mortem autem crucis,Philip.2.Sed debebat hic author etiam adiunxisse, Christum etiam vt hominem, si voluisset, potuisse assumere omnium temporalium rerum dominium; se Regem facere aut Imperatorem, vtrius officium magis allubuisset. Vt enim ait Sanctus Ioannes capit.11. Omnia ei dedit Pater in manus,& Sanctus Paulus cap.1. epist.ad Heb.Quem constituit hæredem vniuersorum. Neque dicere debuisset, Christum post resurrectionem non exercuisse potestatem Principis temporalis, non adiungendo, Christum post resurrectionem etiam vt hominem, gubernasse totum mundum, non vt Principem temporalem, sed vt Principem æternum, superiorem omnibus Principibus temporalibus,vt S. Ioannes ait sub initio Apocal.Qui est primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ. Et ipse Christus: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. quæ potestas propriè temporalis non est, est enim æterna, nihilominus est supra omnes res temporales & æternas. Christus enim,etiam in quantum homo, erat summus Pontifex, cum potestate excellentiæ, quin imò erat caput hominum & Angelorum, vnde superiorem non habebat in terris, nec ab vllo de iure iudicari poterat,sed tantum de facto, quando id fieri ipse permittebat. Et hoc significat Apostolus, dũ dicit:Humiliauit semetipsum, Philipp. 2.Vnde ad ea verba: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi data esset desuper, quibus videtur Christus Pilatum pro iudice sibi à Deo dato agnoscere, respondetur in eo loco per potestatem

tem intelligi permissionẽ;& sensus est eius loci, Pilatum nihil potuisse facere aduersus Christum, si Deus id non permisisset, vt eodem modo alius locus intelligitur: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, Lucæ 22. Et hæc responsio est sanctorum Patrum, Chrysostomi & Cyril. in expositione cap. 19. S. Ioannis. Verum quia S. Thomas in cap. 13. Epistolæ ad Roman. intelligit eum locum de potestate, quam habent Principes à Deo, dicimus, potestatem Pilati vt ministri Cæsaris fuisse à Deo, à quo omnis legitima descendit potestas. Sed quod hæc potestas ad Christum se extenderit, factum esse ex ignorantia Pilati, qui dignitatem Christi nesciebat, atque ideo tanquam priuatum eius patriæ ciuem iudicabat. Quemadmodum si hoc tẽpore Clericus sub nomine Laici, & in habitu laico sisteretur iudici sæculari, posset iudicari ea potestate, qua alij laici iudicantur; non ideo tamen sequitur, clericos iudicio laicorum esse subiectos, aut Christum subiectum fuisse iudicio Pilati.

AVTHOR.

[Præcipit demum, vt tributum detur Principibus secularibus, id est, Cæsari: reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Aliqui opponunt se huic propositioni, dicentes: Licèt Christus soluerit tributum Cæsari pro se & Petro, nihilominus eum subiunxisse, quod ad soluendum obligatus non fuerit. Nunquid filii debent soluere tributum? In quo ostendit authoritatem Principis temporalis, qui exemptus est à tributo. Ad hoc dubium ita respondetur, eius patriæ ciues nomine filiorum appellatos. vt aliqui Doctores dicunt, non fuisse obligatos ad soluendum tribu

tum, & cum ipse & S.Petrus eius patriæ fuerint, dixisse, quod non sint obligati. Aut vt melius dicatur, insinuare voluit eius sanctissima diuinitas, & dicere, quod tanquam filius Dei non sit obligatus ad dandum tributum. Verùm quia excusatio hæc altum & profundum nimis sacramentum contineret, cuius tunc exactores & quæstores Principis incapaces sciebat, dixisse: Sed ne scandalizetur. Vbi apparet, quanti fecerit Christus, ne scandalum præberet ministris Principum sæcularium, allegans veram & realem, ab ipsis tamen non intellectam exemptionem.

Responsio.

Christum iussisse vt daretur Cæsari tributum, verum est, sed non est ad propositum, cum nemo neget soluendũ esse tributum Principibus ab illis, qui sunt obligati dare, vt inquit Sanctus Paulus: Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, &c. Verũ quantum ad tributum, quod Christus soluit pro se & Petro, videtur tibi arrisisse hæresis Marsilij Paduani, qui dixit, Christum non cum descensione, sed necessitate coactum persoluisse tributum. Quæ hæresis condemnata est à Papa Ioanne XXII. in extrauag. licet, vt refert Cardinalis Turrecremata in summa de Eccle. l. 4. part. 2. cap. 37. Nõ enim aliam exemptionem allegas, vt probes, Christum non fuisse obligatum ad dandum tributum, quam quia eius patriæ erat, & tales nominati fuerint filii Dei, & quia diuinitatem habebat, secundum quam erat filius Dei, & tanquam talis non fuerit obligatus. Prima ratio friuola tota est & vana: quia non solùm ciues eius patriæ non erant exempti,

xempti, verum ipsi soli erant obligati ad dandum tributum, vt Exodi cap. 30. apparet, vbi impositum est tributũ omnibus filiis Israel, vt quilibet dimidiũ sicli persoluat. Hoc tributum postmodum acceperunt Romani, vt scribit Iosephus de bello Iudaico cap. 26. Secunda ratio eximit Christũ vt Deum, non vt hominem, atque ideo vt homo secundum te erat obligatus. Hoc asserebat Marsilius Paduanus; & id ipsum ex tua ratiocinatione colligitur, vis enim probare, Christum non fuisse Principem temporalem, & ad hoc probandum pro vltima & principali ratione adducis, quòd Christus iubeat, vt Principi soluatur tributum; quæ ratio nullam planè energiã habet, nisi adiunxeris, quòd Christus soluerit tributum. Et quia in his consistit robur argumenti tui, ideò struis obiectionem aduersus teipsum, dũ dicis, aliquos opponere, Christũ non fuisse obligatũ ad soluendum tributum, sed soluisse, ne scandalizaret exactores tributi. Modò igitur abs te peto. Christus vt homo, vel obligatus erat, vel non erat ad soluendũ tributum, si dicis fuisse obligatum, declaras te assèclam Marsilij, qui tanquam hæreticus condemnatus fuit: si ais non fuisse obligatum, fatearis necesse est, argumentum tuum robur planè nullum habere, & ad propositum nihil adfers. Veritas in hoc consistit, Christum etiam vt hominem vnaque Apostolos non fuisse obligatos ad dandum tributum, Christus enim vt homo non erat persona humana, sed diuina, nec erat filius adoptiuus, sed naturalis Dei, qui Rex est super omnes Reges, atque ideò nullo Regi obligatus est ad soluendum tributum. Et quia quando Princeps aliquis ad dandum aliquid non est obligatus, neque familia est obligata,

ideò nec Apostoli Christi familiares & domestici eius ad reddendum tributum obligati erant. Atque hinc Sanctus Hieronymus in cap. 17. Matth. & Augustinus 1. l. quæstionum Euangel. q. 23. colligunt, clericos obligatos non esse ad soluendum tributum Principibus sæcularibus, quia sunt familiares Christi & ob honorem Christi exempti. Intermitto adducere cætera verba tua circa hanc secundam propositionem tuam, sunt enim exigui momenti, nec responsione opus habent, cum aduersum nos non pugnent.

Propositio Tertia Authoris.

[Cùm Christus Iesus Dominus noster non exercuerit authoritatem Principis temporalis, non erit verum dicere eum, hanc authoritatem Petro & successoribus, qui eius Vicarij sunt, concessisse, non est enim Vicarius maior Principali suo. Vnde benè Sotus l. 4. Sent. tractans hanc materiam & Cardinalis Bellarminus de authoritate Papæ, dicunt se mirari Canonistas, quòd sine ratione & authoritate Noui Testamenti audeāt affirmare, Papā esse dominū totius orbis directè in tēporalibus: doctrina verè scādalosa & parùm solida. Scio equidem, quosdā præter Canones, qui ceu leges humanæ diuinarum respectu, non possunt habere æqualem authoritatem, citare S. Thomam Aquinatem de regimine Principum c. 10. & 19. eiusdem libri, vbi dicit: Summus Pontifex est Dominus totius orbis in temporalibus, verùm hic liber non est D. Thomæ, vt benè demonstrat Cardinalis Bellarminus l. de potestate Papæ, &c.]

Resp.

RESPONSIO.

Tertia hæc propoſitio ſimilis eſt ſecundæ, nihil enim facit ad propoſitum negotij principalis ab authore intenti,& ſolùm valet ad demonſtrandam peruerſam voluntatem,& exiguam in allegandis authoribus ſinceritatem. Non facit ad propoſitum: intentum enim ſuum erat demonſtrare ſententiam excommunicationis & interdicti latã à ſanctiſſimo Papa Paulo V.nullã &inualidam eſſe,ad quod probandum,tantùm erat dicere,Papa non eſt Rex temporalis mundi,ac dicere , Rex Franciæ neminem poteſt ad triremes condemnare , quia non eſt Epiſcopus. Ad ferendum enim excommunicationem & interdictum,non requiritur authoritas Regia & temporalis,ſed Pontificia & ſpiritualis: quemadmodum ad pœnam triremium infligendam , non eſt neceſſaria poteſtas ſpiritualis,cum ſufficiat temporalis. Exigua ſinceritas in allegandis authoribus deprehenditur in eo,allegat enim Sotum & Bellarminum,cum neuter vtatur terminis tam immodeſtis,vt dicant mirari ſe Canoniſtas , quod auſi ſint abſque aliqua ratione aut authoritate noui teſtamenti aſſerere,Papam eſſe Dominum totius orbis directe in temporalibus, doctrina vere ſcandaloſa & parum ſolida.Hæc admiratio ab ipſo ficta & excogitata noſtris in ſcriptis nullibi inuenietur,multo minus quod dixerimus , doctrinam illam Canoniſtarum abſolute ſcandaloſam & abſque ratione eſſe,quin nec diximus abſolute , Canoniſtarum eam eſſe ſententiam,nouimus enim ipſos etiam Canoniſtas hac in re diſcrepantes eſſe, & Sotus pro ſe allegat Ioannem Andream,Bellarminus pro ſua opinione allegat Turrecrematam & Nauarrum,& po-

terat etiam citare Innocentium IV. in cap. Nouit. de iudiciis,& glossam eo in loco, vbi adiungit distinctionem directe & indirecte. Et differētia, quæ inter istos authores est, non consistit in eo, vt tribuant aut auferant Papæ potestatem supremam in negotiis temporalibus, omnes enim eam concedunt, hæreticis exceptis. Sed cōsistit in modo, quod pars eorum credat, Papam habere eam potestatem eo modo, quo eam habent Principes sæculares, pars altera autē existimet potestatem Papalem proprie & in se spiritualem esse, posse tamen in ordine ad res spirituales plenissima authoritate de temporalib. rebus disponere, vt inter alios diuinè demonstrat author opusculi, de regimine Principum l.3. cap.11.& 13. siue ille D. Thomas sit, siue alius, Bellarminus enim non negat absolute illum librum S. Thomæ esse, sed refert aliquos de eo dubitare, & non sine causa, refertur enim in eo opusculo historia quædam, quæ post mortem D. Thomæ contigit, & ipse Bellarminus ait, possibile esse, eam historiam postmodum in eo libro insertam fuisse ab alio, atque ideo non se stabiliens in ea responsione, quod liber ille Diui Thomæ non sit, aliam magis solidam subiungit, & est, declarandam esse eius libri sententiam cum alia eiusdem. Sed non est silentio prætereunda, aut impunis relinquenda grauis eius authoris temeritas, qua vtitur, dum de sacris Canonibus loquitur, & ait. Scio equidem aliquos vltra Canones, qui veluti leges humanæ, concurrentibus diuinis non possunt habere æqualem authoritatem, citare etiam Sanctum Thomam, &c. Hæc est grauis sacrorum Canonum contemptus, qui ex ore viri catholici nunquam auditus est, quantū enim apparet, is

yet,is author nihili facit, doctrina sua sacris Canonibus consona sit nec ne,sed nec etiam eos proponenti dignatur respondere,ac si nullius plane essent authoritatis,postmodum etiam appellans absolute leges humanas,ac si cum assistentia Spiritus sancti factæ non essent, loquitur modo sanctis Patribus inusitato,qui eos semper sanctos & sacros à Deo inspiratos nominant. Audi hac de re Sanctum Leonem ad Anatolium.Nimis hæc improba(ait) nimis sunt praua,quæ sacratissimis Canonibus inueniuntur esse contraria.Demum cùm addit sacros Canones diuinis concurrentibus,non posse habere æqualem authoritatem,significat Canones in hac materia contrarios esse legibus diuinis,atque ideò parui æstimandos esse,quæ reprehensio non solùm magistris canonum,ac si leges Deo contrarias statuerint, sed etiam toti Ecclesiæ iniuriosa est,quæ eosmet canones ceu regulas mediantibus summis Pontificib. aut sacris Cōciliis à Spiritu S.præscriptas veneratur.

AVTHOR.

[Ad infringendum robur nostræ huius propositionis dicunt aliqui, Alexandum VI. Papam diuisisse Indiam Regibus Hispaniarum & Portugalliæ, fuit enim,inquiunt,ceu Vicarius Christi, naturalis Princeps temporalis.Et Leonem III.eadem ratione Carolo Magno dedisse Imperium Occidentis. Sed hi toto cœlo aberrant.Quia Alexander nō tanquam Dominus,sed tanquam iudex compromissarius ab ipsis Regibus ad sopiendam & exstinguendam discordiarum flammam electus, per iudicium determinauit,maria diuidenda esse, & vt classis vnius per hoc,alterius per aliud mare nauigaret, &

quod quisque acquireret, hoc iure belli suum faceret, iuxta diuisionem ab ipso factam, vt Historici aiunt, Leonem III. verum est, cùm à Populo Romano à Sede Apostolica deturbatus, & à Carolo Magno ad eandem restitutus fuisset, fecisse, vt populus eum Imperatorē proclamaret, vt ait Platina, quod factū Historici modò Romano Populo attribuūt, qui videns se à Græcis Imperatoribus malè gubernari, antiquo iure alium Imperatorem elegerit: modò dicunt, Carolum, cùm Dominus status eius esset, ab Irene & Nicephoro Imperatore comparasse titulum, modò quòd Irenes & Nicephorus Impetor ea diuisione contenti fuerint. In summa quicquid sit, certum est, Papam à Sede Apostolica detrusum, nihil possidentem, Carolo non dedisse Occidentis Imperium, quod iam habebat, eiúsque iure belli Dominus erat.]

RESPONSIO.

Quemadmodum Propositio non est ad rem, ita nec etiam rationes pro & contra. Propterea solùm occupabor in detegendis huius Neotheologi erroribus. Dicit igitur Alexandrum VI. diuisisse maria Regibus Hispaniæ & Portugalliæ, & decreuisse, quicquid iure belli acquirerent, hoc eorum esset. Vbi si verba hæc, iure belli, significant iustum bellum, quod præsupponit acceptam iniuriam ab eo, cui bellum infertur, vt illud declarat Aug. l. quæst. in Iosue q. 10. benè dicit: Si autem significant bellum inferri posse, infidelibus Indianis, etsi molestiā nullam inferant Christianis, solùm ad acquirendas terras, non benè loquitur, & cōtra omnes meliores Theologos, vt sunt Cardinalis Caietanus in cōm. 22. q. 66. & Sotus l. 5. de Iustitia & Iure q. 3. a. 5. & in 4. Sent.

4.Sent.dist.5. q.1.art.10. & Victoria 2.relectionum de iure belli: Qui dicunt infideles veros prouinciarum suarum Dominos esse, vt enim S.Thomas docet 22.q.10.a.10. fides & gratia non destruunt naturam,atque ideò non tollunt dominium iustū, quod homines habent,antequam fidem recipiunt, nec licitum est ad acquirendas prouincias exire, vt ad capiendas feras sine ratione venatum exiri solet. Vnde Sotus dicit, Alexandrum VI. non assignasse Indiam Regibus Castiliæ, & Portugalliæ, sed tantum concessisse, vt dum pergerent Prædicatores in nouas illas insulas, illi armatam manum submitterent, qua Prędicatores & Christiani noui defenderentur. Quibus etiam adiungi potest,Alexandrum VI.Pōtificem tanquam caput Christianitatis,cùm prospiceret periculum belli orituri inter Principes Christianos ob commercia cum Indis, voluisse solū Regem Castiliæ nauigare ad Indiam Occidentalem, Portugalliæ verò Regem ad Orientalem. Attingit postmodum hic author, translationem Imperij factam à Papa Leone III. & dum nosset controuersiam, quæ hac in causa inter Bellarminum & Matthiam Illiricum existit, placuit ei, vt semper ad deteriorem partem inclinat, sequi potiùs hæretici errores; atque ea de causa dicit, Carolum Magnum à Populo Romano Imperium habuisse, aut titulum à Nicephoro & Irene comparasse,aut Nicephorum &Irenem diuisioni Imperij consensisse, & summatim certum esse,Papam non dedisse Carolo Magno Imperium Occidentis. Cùm tamen Bellarminus authoritate triginta trium Historicorum, decem Imperatorum, & omnium Imperij Electorum, septem Summorum Pontificum, & ratione euidenti,

discurrens per omnes titulos, quibus Imperium aliquod acquiri potest, probauerit, à Papa Leone III. Summo Pontifice Carolum Magnum accepisse Imperium. Atque adeò opinio Illirici, atque huius Neotheologi in historia, hæresis, in Theologia temeritas appellari potest, quia omnibus Historicis & sacris Canonibus repugnat. Et vt omittantur alia loca, Innocentius III. in c. venerabilem, de electione, ita dicit, Rom. Imperium in personam Magnifici Caroli Sedes Apostolica à Græcis transtulit ad Germanos. Et Clemens V. vna cum Concilio Generali Viennensi in Clement. quæ incipit, Romani Pontifices, idipsum repetit. Quomodo igitur temerarius non est, qui contradicit duobus summis Pontificibus, & integro Generali Concilio. Nec verum est, Platinam contrarium scripsisse, solum enim dicit: Papa decreto & precibus populi Romani creauit Carolum Imperatorem, volens dicere, populum decreuisse rogandum Papam esse, vt dignaretur Carolum facere Imperatorem. Nec esse potest, quòd Carolus iure belli acquisierit Imperium Romanum, quòd cum Romanis bellum nunquam gesserit. Minus verum est, quòd ab Irene & Nicephoro Imperatore titulum comparauerit, hæc enim sunt Matthæi Illirici figmenta sine vllo fundamento. Nec verum est, Carolum à populo Romano habuisse Imperium, nunquam enim Populus Romanus aut Senatus habuit hanc potestatem, & omnes antiqui Imperatores, aut ab exercitu, aut ab antecessore electi fuerunt; ac proinde Maximus & Balbinus Imperatores à Senatu electi, subitò à militibus occisi fuerunt, dedignabantur enim accipere Imperatorem à Senatu, vt refert Herodianus c. 8. historiæ suæ.

ſuæ. Ideo etiam S. Hieronymus, ep. 85. ad Euagrium, inquit: Imperatores eligi ab exercitu. Demum non obſtat, Papam Leonem non poſſediſſe Imperium, dum Carolum Magnum inueſtiret, non enim poſſeſſionem, ſed titulum ſolum & ius dedit, quibus fiebat, vt eſſet legitimus Princeps earum prouinciarum, quas Imperatores occidentales gubernare ſolebant, & haberet dignitates, & prærogatiuas, quas alij Imperatores habuerant. Et ad hoc efficiendum non fuit neceſſe, Papam poſſidere Imperium, ſed ſufficiebat eum Papam eſſe, & conſequenter habere poteſtatem Apoſtolicam, qui in caſu, quo illud neceſſarium aut vtile eſt Chriſtianitati, diſponere poteſt de Regnis & Imperiis Chriſtianorum, vt ſæpè & frequenter Summi Pontifices factitarunt.

PROPOSITIO QVARTA AVTHORIS.

[Authoritas promiſſa à Chriſto Saluatore noſtro S. Petro ſub metaphora clauium mere eſt ſpiritualis: *Tibi dabo claues regni cælorum*, non dicit regni terrarum. Et ratio id dictat, quod in hymno Eccleſiæ legitur: *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia*. Qualiter enim regnum temporale & monarchia gubernanda ſint, iam ab initio mundi, authoritate magni illius Monarchæ totius vniuerſi, ſcilicet Dei, conſtitutum erat, itaque Chriſtus Saluator noſter non fundauit monarchiam temporalem remanet ergo, quòd fundarit ſpiritualem, quod apertè videre eſt in S. Ioannis c. 20. vbi cum dixiſſet: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, omnino eandem dat Apoſtolis, vnáque cum his S. Petro limitatã: inſufflauit in eos & dixit: Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo in loco ex ipſa actione,

quam Christus exercet, & ex verbis, quæ profert, colligitur, quòd authoritas Pontificis spiritualis sit & de peccato, & in animas solum secundum verba orationis, Ecclesiæ ad S. Petrum, qui beato Petro potestatem animas ligandi & soluendi tradidisti: Quæ limitata est, vt dixi. Quin imò authoritas excõmunicandi data S. Petro est conditionata. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, vbi Saluator authoritatem excommunicandi dat, sed supposito peccato & pertinacia in peccato, &c.]

RESPONSIO.

Adeò in diminuenda Pontificis dignitate hic author proficit, vt sit suspectus credere tantùm Pontificem esse simplicem aliquem Sacerdotem & Parochum, aut nullam planè iurisdictionem habere, nihílque aliud posse, quàm ad obseruantiam legis diuinæ adhortari, quòd concionatoris officiũ est, baptizare, confessiones excipere, quod Parochorum est, qua in re videtur renouare velle hæresin VValdensium, Marsilij de Padua, & Ioannis Huss, quam hac ætate omnes moderni hæretici amplectuntur. Sed accedamus ad eius verba. Primò ait, potestatem pontificiã merè spiritualẽ esse. Ad quid illud merè? nonne melius erat dicere, principaliter spiritualem esse? Nauarrus, quem tu adeò extollis & legi vis, in c. Nouit. de iudiciis, & solidissimum Doctorem appellas, dicit quidem, Pontificem merè temporalem non esse, sed non dicit merè spiritualem esse, ac si nullo modo attingere possit dispositionẽ rerũ temporalium. Quin imò dicit, potestatem esse eminentissimam, quæ cùm in se spiritualis sit, & cõsequenter temporali superior, possit & debeat dirigere tempo-

temporalem, quando deuiat & deflectit, vt superiùs dictum est. Nec hymnus Ecclesiæ, *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia*, vult, quòd monarchia temporalis iam fundata fuerit. Sed hoc tantùm vult dicere, regnum Christi, cuius claues Petrus habuit, non esse regnum temporale, quod absque eo, quòd aliquis illud perdat, acquiri non possit; sed eiuscemodi regnum esse, quod omnia regna gubernat, non auferendo dominium ab illis, qui illud iustè habent, alias enim dicere posses, nec Deum habere potestatem in res temporales, quia non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Dicit secundò, Christum Apostolis & S. Petro dedisse potestatem limitatam, supra peccatum scilicet, Ioannis enim 20. insufflauit & dixit: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hæc planè hæresis est eorum, qui Papæ & Ecclesiæ omnem adimunt iurisdictionem. Quæ hæresis verbis ipsius Christi eodem in loco, parùm ante verba ab authore citata damnantur. Prius enim quàm diceret, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, dixerat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Quibus verbis absolutam potestatem & illimitatam dedit, loco sui gubernandi Ecclesiam, atque ideò aiunt Theologi, eum his verbis dedisse potestatem iurisdictionis, aliis verò potestatem ordinis, & quando postmodum capite sequenti dixit S. Petro: Pasce oues meas, certum est, non restrinxisse potestatem ad absolutionem peccatorum, sed dedisse potestatem amplissimã gubernandi & regendi totam Ecclesiam, quia hoc verbũ: Pasce, idem est, quod in lingua Græca, in qua scripsit Ioannes, cum eo, quod est in c.19. Apoc. Et ipse reget eos in virga ferrea; & illo Micheæ 2. iuxta

translationem septuaginta interpretum: Ex te exiet mihi Dux, qui regat populũ meum Israel. Sic quòd secundùm modum loquendi scripturæ, facere Petrùm Pastorem, idem sit, quod facere Rectorem, Gubernatorem & Principem totius Ecclesiæ. Et quando dixit ei Matth.16. Quodcumque solueris, & quodcumque ligaueris, non restrinxit ad peccata potestatem, nec etiam ad personas, quia non dixit, quemcumque solueris vel ligaueris, sed quodcumque, volens scilicet exprimere, potestatem quandam vniuersalem ligandi & soluendi; id est, mandandi, condendi leges, dispensandi, remittendi, prout opus fuerit, ad ducendum & introducendum fideles in regnum cœlorum, cùm habeat plenissimam authoritatem præscribendi omnibus ea, quæ credenda & facienda sunt, remouendi etiam singula impedimẽta, quæ in via salutis occurrere & opponi possunt, vt prolixè ostendimus l.1. de Pontifice.

Dicit tertiò, Papam habere tantùm potestatem in animas, & colligit istud ex oratione illa; Deus, qui beato Petro animas ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti. Si hæc ratio bona esset, Principes sæculares etiam aliam, quàm in animas potestatem non habebunt. Dicit enim S. Paulus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Vnde hic author aut nimis simplex est, non attendens, in scripturis animam accipi pro toto homine, aut studium eius fuit, simplices, verbis Ecclesiæ malè intellectis, decipere. Et fortè diuina prouidentia ad tollendam viam eiuscemodi deceptionibus, inspirauit reformatoribus Breuiarij, vt auferrent ex illa oratione verbum hoc (animas) vt neque antiquitus in ea fuit, nec esse debet, cùm oratio ex verbis Euã-

gelij

gelij deducta sit: Quodcumque ligaueris & quodcumque solueris. Addit demum, quòd excommunicandi potestas sit conditionata, præsupponens peccatum & obstinationem in peccato. Quæ doctrina noua & falsa est, nec poterit adduci author vllus, qui simile quid dixerit. Verum est, præsupponi peccatum, & obstinationem in peccatō: cùm enim excommunicatio sit grauissima pœna, sine culpa eáque grauissima, qualis est peccatum mortale, infligi nequit. Verum etiam est, præsupponi inobedientiam, aut vt rectius dicamus, contumaciam, nec sufficere quodcumque peccatum ad excommunicandum, nisi adiungatur pertinacia, dixit enim Dominus: & si Ecclesiam non audierit. Vnde excommunicari aliquis non potest, quia fur aut adulter est, nisi prius admonitus obedire recuset. Sed multum inter se differũt pertinacia & inobedientia, fieri enim potest, vt aliquis pertinax sit in peccato aliquo, de quo ab Ecclesia non sit admonitus, & eiusmodi licet pertinax excommunicari non potest; ę contrario verò fieri potest, vt aliquis sit inobediens, & excommunicari possit, etiamsi in inobedientia postmodum pertinax non sit, & verba Domini, si Ecclesiam non audierit, significant inobedientiam, nõ pertinaciam propriè loquendo. Nec opus est, vt in probatione huius multum fatiger, sunt enim hisce authores pleni, aduersarius autem assertionem suam non aliter, quàm authoritate malè intellecta probat.

PROPOSITIO QVARTA AVTHORIS.

[Licet aliqui sint, qui, nescio quo fundamento nixi, asserunt, personas & bona Ecclesiastica exempta esse à potestate Principis iure diuino, nihilomi-

nus contraria opinio, nimirum de iure humano tantùm exempta esse, melior & conformior est sacræ & diuinæ scripturæ, dictis sanctorum Patrum & historiis.]

RESPONSIO.

Si hic author alicuius esset reuerentiæ erga sanctam Ecclesiam, nunquam ita liberè & absolutè loqueretur, personas & res Ecclesiasticas iure solùm humano exemptas esse. Concilium enim Tridentinum generale, sess. vltima, cap.20. clarè docet, immunitatem Ecclesiasticam ordinatione diuina, & decretis Ecclesiasticis institutā esse. Quis est Christianorum igitur, qui se huic & tantæ authoritati opponere audeat? Hæc hæc authoritas sola est, prius enim Coloniense Concilium parte 9. c. 20. illud ipsum verbis hisce declarauit. Immunitas Ecclesiastica est res antiquissima, & introducta iure pariter diuino & humano. Et in Concilio Lateranensi sub Leone X. sessione nona, ita legitur. Nullo nec diuino nec humano iure habent Laici potestatem aliquam in personas Ecclesiasticas. Quę verba propriè contraria sunt verbis huius authoris, qui dicit Principes laicos iure diuino habere potestatem in personas Ecclesiasticas. Ex quo magna nimis huius noui Goliath temeritas apparet, qui se huic agmini exercitus Dei, quale est Concilium generale, audet opponere. Et ante hæc Concilia, Bonifacius Papa in cap. quanquam de censibus, hac de re tanquam plane nota, & ab omnibus recepta, scripsit, quod personæ & res Ecclesiasticæ à potestate sæculari, iure diuino liberæ sint. Et ante hunc Pontificem Ioannes VIII. vt refert Gratianus d.96. can. si Imperator, refert; Deum omnipotentem ordinasse, quod Sacer-

Sacerdotes & alij Clerici non ordinētur aut iudicentur à poteſtate ſæculari,ſed ſolum à Pontifice.Quod Pontifex hic de perſonis, multo ante Papa Simachus vna cum toto Romano Concilio II. in eius præſentia celebrato de bonis Eccleſię tradit.Et ſcripturæ quidem ſacræ non contraria, legitur enim Geneſ. 47. quod Ioſeph Patriarcha, cũ eſſet Prorex & Vicarius generalis Pharaonis, exemerit Sacerdotes ab oneribus, quæ reliqua plebs ſufferebat. Et 1. Eſdr.c.7.ib eiſdem Artaxerxes Perſarum Rex ſimiliter Sacerdotes Hebræos abſoluit;lumen enim naturale,quod à Deo immediate prouenit, dictat,hoc eſſe cõueniens. Vnde Alexāder III. Papa in Concilio Lateranēſi pulcerrimā hanc exclamauit ſentētiam.Nõ eſt æquum Eccleſiam Dei,tempore Chriſtianorum principũ,minus liberā eſſe,quam fuit tēpore Pharaonis,cap.non minus de immunitate Eccleſiaſticorũ.Sed videamus quibus argumentis probet ſententiam ſuam hic author, dum dicit ſententiam eorum qui aſſerunt exemptionem perſonarum & bonorum Eccleſiaſticorum de iure humano eſſe, conſonam magis ſacræ ſcripturæ, ſanctis Doctoribus & hiſtoriæ eſſe.

AVTHOR.

[Quia præter hæc quæ diximus, in prima propoſitione, quod Sacerdotes in antiqua lege ſubiecti fuerint Principi ſæculari, præterquam quod Salamon priuauerit Abrathar ſummo Hebræorum ſacerdotio,vt cap.2.l.3. Regum videre eſt. Tempore primitiuæ Eccleſiæ vſque ad Iuſtinianum Imperatorem, nullum in iure legitur priuilegium, de Eccleſiaſticis facta exemptione.]

RESPONSIO.

Et nos in confutatione primæ propositionis demonstrauimus, quod in antiqua lege Sacerdotes & Leuitæ subiecti fuerint Principi Ecclesiastico, & quia Author dixerat,Moysen fuisse Principem politicum, cui subiecti erant Sacerdotes, testimoniis scripturæ & S S.Patrum probauimus, Moysen summum Sacerdotem fuisse. Ad exemplum Salamonis responderi potest,Salamonem illud fecisse, tanquam diuinæ voluntatis ministrum, prædictum enim iam fuerat,Heli posteritatem cessaturam, ideo subiungit scriptura, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. Accedit quod facta Principum non sint leges. Verum quod ante Iustinianum non extiterit in Ecclesia priuilegium exemptionis,falsum est manifeste.Cõstantinus enim Imperator qui ducentis annis Iustinianum præcessit,& primus Imperatorum, qui palam se Christianum professus est, quam primum Ecclesiasticos liberos à communibus Reipublicæ oneribus declarauit, vt legitur in epistola eiusdem Constantini ad Auilinum, quæ refertur ab Eusebio lib.10. cap.17. historiæ Ecclesiasticæ, & præter hoc Constantini priuilegium, multa alia sunt in Codice Theodosiano, antiquiora Iustiniano, vt refert à te citatus Couarruuias tuus cap.31.quęstionum practicar.

AVTHOR.

[Sanctus Paulus ait:Ad tribunal Cæsaris sto, Cæsarem appello. Et inter infinita exempla alia, legitur in vita Ottonis primi Christianissimi Imperatoris,quod propria authoritate Ioannem Papam XII.ob pessimos mores deposuerit.]

RES-

RESPONSIO.

Ad hoc argumentum antiquitus à nonnullis hæreticis propositum optimè respondet Cardinalis Turrecremata l. 2. cap. 96. suæ summæ. S. Paulum fuisse coactum appellare ad Cæsarem, & eum pro iudice suo agnouisse, de facto, non de iure, tūc enim potestas Sancti Petri non agnoscebatur nec credebatur, atque ideo si Paulus dicere voluisset, non cognoscere se alium iudicem, quam Vicarium Christi, risum excitasset Iudæis, à quibus erat accusatus, & gentilibus, à quibus erat iudicandus, & ita ipsemet dicit, coactus sum appellare Cæsarem. Quod attinet ad historiam Papę Ioannis, & Ottonis Imperatoris, duæ falsitates & errores in tam pauculis verbis autoritate propria continentur, falsissima sunt de facto & de iure. Dico de facto, Otto enim sciens se tanquam laicum non posse iudicare Ecclesiasticum, petiit à Concilio Romæ congregato, vt determinarent illud, quod fieri deberet. Sācta Synodus, quid decernat, edicat. Ita loquitur Otto ad Concilium; itaque Otto non deposuit summum Pontificem authoritate propria, sed authoritate Concilij. De iure dico. In nullo enim authore Catholico inuenietur, Papam ab Imperatore deponi posse, bene autem Imperatores à Papa, Vt Otto IV. fuit depositus ab Innocentio III. Fridericus II. ab Innocentio IV. & multo antea Heinricus IV. à Gregorio VII. atque adeo hic author in sua opinione præter hæreticos antiquos & modernos, socios alios non habet, & in particulari Marsilium de Padua, vt testatur Cardinalis Turrecremata lib. 4. summæ par. 2. cap. 37. Verum nec à Concilio iudicari potest Papa, nisi in casu hæresis, in quo omnes Catholici cōueniunt,

& hic est alter authoris error, quia Papa Ioannes XII.non fuit accusatus de hæresi,sed solum de malis moribus, & Concilium illud quod deposuit Papam Ioannem XII.non fuit Cōcilium legitimum, sed conciliabulum,schismaticum, & acephalum, atque ideo paulo post abrogatum & cassatum fuit. Legat,qui scire volet hanc historiam, tomum decimum Cardinalis Baronij, aut breuitatis ergo additionem Onuphrij ad Platinam.

AVTHOR.

[Et si exemptio est de iure diuino, quare Papa Adrianus I.vult, vt Carolus Magnus habeat authoritatem eligendi Romanum Pontificem, in cap.Adrianus,quod & Leo VIII.fecit in fauorem Ottonis primi,vt in ea ipsa distinctione legitur.]

RESPONSIO.

Subtilitatem & acumen argumenti huius plurimum miror. Quid negotij commune habet exemptio Ecclesiasticorum, cum nominatione personæ ad pontificatum? ideo hoc tempore Ecclesiastici Galliæ exempti non sunt, quia Rex personas nōminat vacantibus Ecclesiis. Et vbicunque sunt Iuspatronatus, quandoquidem patroni qui ordinariè Laici sunt, habent ius nominandi, deperdita est exemptio? Habuerit igitur aliquandiu Carolus priuilegium Papæ, sede vacante nominandi aliquem ad Pontificatum, per hoc tamen Imperator nō dedit Papę authoritatem aliquam, nec eam auferre aut imminuere potuit,cū vt superius diximus, nominatæ personæ, aut alias canonicè electæ Deus ipse det pontificalē potestatem, per quā eiusmodi persona iure diuino fit superior, & caput omnium Christianorū,siue Principum, siue priuatorum. De priuilegio

uilegio Imperatori Ottoni à Leone Papa concesso, idipsum dici posset, si illud priuilegium non fuisset vanum, & absque effectu. Et hoc dictum sit, posito quod verum sit, id quod Gratianus scribit in citatis Canonibus, Adrianus,& in Synodo. Verum Illustrissimus & doctissimus noster Cæsar Baronius tom.9. annalium, pag. 323. clarissimis documentis demonstrat, nunquam eiusmodi priuilegium cõcessum fuisse Imperatori ad eligendum summum Pontificem, atque ita totum aduersarij argumentum ruit, habens nimirum consequentiam malam, & antecedens falsum.

AVTHOR.

[Hæc doctrina non solum est S.Pauli, vt propositione prima probaui, sed etiam S.Chrysostomi, S. Thomæ Aquinatis, Soti Theologi præstantissimi, dist.25.l.4.sent.Couarruuiæ,c.31.practicarũ quęstionũ, qui etiã pro se citat Innocentiũ III.Papã, Alciatum, Ferrariensem, Medinam,& alios,& duo hi authores, Sotus scilicet, & Couarruuias in hoc negotio particulari plurimi faciendi sunt, cum vterque post Concilium Tridentinum scripserit.]

RESPONSIO.

S. Paulus & S. Chrysostomus non loquuntur de exemptione Ecclesiasticorum, sed solummodo docent, quemlibet obligatum esse, obedire suis superioribus, vt supra dictum est. S. Thomas non negat, exemptionem esse de iure diuino, licet affirmet, esse de iure humano, quia potest esse, & est de iure humano & diuino, vt loquuntur sacri Canones. Sotus licet neget, exemptionẽ esse de iure diuino strictè, nihilominus ait, cõsentaneũ esse lumini naturali, & adiungit neminem Principũ, nec omnes pariter

posse huic exemptioni derogare. Vnde manifestet doctrina Soti contraria est negotio Venetorum, qui tot modis immunitatem Ecclesiasticam, ac si in potestate eorum esset derogare eis, quando libuerit violare & proscindere audent. Nec verum est Sotum post Concilium Tridentinum scripsisse, quia licet primæ sessioni celebratæ sub Paulo III. interfuerit, nihilominus mortuus est, antequam Concilium finiretur, & ita non vidit vltimum illud decretum, quo declaratur, quod immunitas Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum, sit introducta per diuinam ordinationem, quod decretum si vidisset, neutiquam illi contradixisset. Couarruuias, vt supra attigimus, semper partialis nimis visus est pro Iurisdictione regia, nihilominus is ipse docet, Pontificem iusto titulo potuisse liberare, Ecclesiasticos à potestate sæculari, & quod nullus Principum, etiam summus possit derogare huic immunitati. Quapropter apparet etiam Couarruuiam improbare factum Venetorum; atque ideo Author non aduertit, quid dicatur, dum notat hos authores plurimi faciendos esse. Demum silentio prætereundum non est, quod addit Author, Couarruuiam allegare pro sua opinione Innocent. III. Quo in loco notandi sunt duo errores, Authoris vnus, Couarruuiæ alter. Author errat, nunquam enim Couarruuias citauit pro se Innocent. III. quem sibi nouerat esse contrarium. Couarruuias errat, quia pro sua opinione allegat Innocentium IV. in comment. super cap. de maioritate & obedientia, & tamen Innocentius IV. in eo ipso loco ait, quod exemptio facta à summo Pontifice cum consensu Imperatoris non sit plena, atque ideo fateri oportere à Deo ipso

Ec-

Ecclesiasticos à potestate Principum sæcularium exemptos esse. Quomodo clarius potest dicere Innocent. IV. quod exemptio Ecclesiastica sit de iure diuino? Et nihilominus Couarruuias audet dicere, Innocentium negare supradictam exemptionem esse de iure diuino. Vnde Panormitanus super cap. nimis de iureiurando refert Innocent. IV. tenere, exemptionem Ecclesiasticorum esse de iure diuino. Ecce igitur quantis paucula illa Authoris verba erroribus scateant, qui non contentus fuit allegasse Sotum & Couarruuiam, verum etiam probationes eorum subiicit hisce verbis.

AVTHOR.

[Et demonstratio eorum efficacissima est, præter authoritatem enim affirmatiuam S. Pauli, S. Chrysostomi, S. Thomæ, præter consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ, adferunt etiam duo argumenta negatiua validissima, quæ talia sunt. Si clerici, & bona Ecclesiastica, exempta sunt iure diuino, vbi hoc ius habetur? in quo Euangelio? in qua Epistola Apostolica? in quo libro noui aut veteris Testamenti? Alterum argumentum tale est, Neminem sæcularium Principum ad tranquillum Reipublicæ statum attentum, ad hoc respicere, sed permittere vt Ecclesiasticis immunitatibus eis fruantur, quibus ipse vult eos frui, quibus verò non vult, non permittere vt fruantur. Et licet nonnulli per legem humanam intelligant Canonem: nihilominus quantum colligitur ex doctrina primæ propositionis, intelligendum est, Priuilegium Principis aut consuetudo ab ipso Principe dissimulata, aut canon receptus, qui non est supra ius diuinum.

Atque ideo cum Princeps sæcularis habeat potestatem in omnes suos subditos de iure diuino, non video, quo modo hæc eius potestas diminui possit, aut auferri à Canone, qui ius humanum est: per regulam communem Iuristarum, quotiescunque concurrunt duo iura, minus debere cedere maiori.]

RESPONSIO.

Ad rationes affirmatiuas iam responsum est, nec oportebat eadem toties repetere, tantummodo vt liber maior euadat. Ad primam rationem negatiuam respondeo multos authores Catholicos, tam Theologos, quam Canonistas, prolixè tractas, te hanc materiam, in quorum libris quærenda sunt sententiæ eorundem fundamenta. Et nos superius breuibus attigimus aliquot loca Testamenti veteris & noui, vt ille est Gen. 47. & alius 1. Esdræ cap. 7. & Euangelij Matth. cap. 17. Ergo liberi sunt filij, vbi per filios intelliguntur Ecclesiastici secundum expositionem Hieronymi & Augustini. Nec solum per ius diuinum intelligitur scriptura sancta, sed etiam lumen naturale, siue ratio, aut lex naturalis. Et hoc modo loquitur Ioannes Driedo 1. de libertate Christiana cap. 9. exemptionem Ecclesiasticam esse de iure diuino, est enim à ratione & lumine naturali indita, & naturaliter quilibet intelligit, personas & res Deo deuotas & consecratas proprias esse Dei, atque adeo rationem nullam esse ob quam Principes sæculares in eas habeant potestatem. Et quod hoc lumen naturale sit, vnde colligi potest, quod in omnibus religionibus, siue veris, siue falsis, hæc exemptionis lex obseruata sit. Ita legimus Exodi cap. 30. & Numer. 1. apud Hebræos

bræos Leuitas.& Genes. cap.47. Ægyptios Sacerdotes, & 2. Oeconom. Aristotelis, Græcos mystas liberos & exemptos fuisse, Quod ipsum apud alios populos in vsu fuisse, testatur Cæsar C. 6. de bello Gallico. & Plutarchus in vita Camilli, & alij authores, quos breuitatis ergo omitto. Ad secundam rationem negatiuam respondeo, quod ea ratio non legatur apud Sotum, nec Couarruuiam, sed author eam ex proprio cerebro effinxit, nec ratio est, sed calumnia aduersus omnes Principes, ac si omnes Machiauellistæ essent, aut concederent, & tollerent exemptionem clericis, prout vtile aut inutile est Reipublicæ. Nos vero scimus, in Ecclesia Dei multos Principes religiosos esse, & pios, timentes Deum, vt debent. Sed si verum esset, quod tamen non conceditur, multos Principes non permittere exemptionem, nisi prout vtilis est Reipubl. quis modus argumentandi erit ille? Multi Principes non permittunt exemptionem, igitur non est de iure diuino? quod tantùm esset, ac si diceret: Multi Christiani furantur, mœchantur, falsa testimonia dicunt, igitur præcepta, non furaberis, non mœchaberis, nôn falsum testimoniũ dices, non sunt de iure diuino. Probandum fuisset, Principes non permittentes exemptionem, nisi quando eis placet benefacere, aut non facere malè: & tunc benè concluderetur non esse de iure diuino: sed de simplici facto, aut vt melius dicatur de præuaricatione simplici vnius legis, colligi non potest, quod ea lex non sit de iure diuino. Discursus postmodum authoris, circa ius, an ius canonicum, an priuilegiam Principis aut consuetudo sit, totus vanus est & friuolus, exemptio enim Eccle-

siasticorum, prȩterquam quod sit de iure diuino, iuris etiam humani est omnibus, De hac enim exemptione inueniuntur plurimæ leges ciuiles, multi canones, & antiquissima consuetudo, quod quidem non nisi ab iis, qui nihil legerunt, negari potest. Demum hæc conclusio, quod Principi sæculari non possit aufferri, aut imminui potestas in Ecclesiasticos, per qualemcunque Canonem, quòd Canon de iure humano sit, potestas autem principis de iure diuino: falsa est, collecta ex principiis, quæ repugnat omnibus Doctoribus Catholicis, tam Theologis quam Canonistis: falsam esse manifestum est, contraria enim est plurimis decretis & conciliis, summis Pontificibus, ipsismet etiam legibus Imperialibus, & lumini naturali, vt suprà demonstratum est. Ex falso principio collectam esse probatum est in responsione ad primam propositionem, vbi declaratum est, potestatem principum in laicos non esse de iure diuino, vnde nec in clericos de iure diuino erit. Quod demum hæc ratio sit contra omnes Doctores Catholicos tam Theologos quam Canonistas, clarè apparet, Sotus enim & Couarruuias, antesignani inter eos, qui dicunt exemptionem Ecclesiasticam non esse de iure diuino, scribunt summum Pontificem, potuisse excipere Ecclesiasticos, omnésque principes obligari ad agnoscendam hanc exēptionem, nullúmque eorum neque omnes simul eam tollere aut imminuere posse. Et hoc quidem dicunt iisdem in locis, quæ ipse author pro se allegat. Vnde sequitur hunc authorem Venetos docuisse doctrinam nouam, erroneam, scandalosam, schismaticam & seditiosam, & si quidem negauerit eam esse nouam, alios tamen

men non eueniet authores & socios, quam hæreticos & schismaticos,& in particulari F.Petrum Martyrem Lutheranum, qui scribens supra Epistolam ad Romanos,& declarans cap.13. hæc eadem omnino verba adfert, quæ scribit hic noster aduersarius.

PROPOSITIO SEXTA AVTHORIS.

[Dum Princeps Venetus legitimus & naturalis Dominus suæ ditionis,qui excepto Deo, nullum alium superiorem, in temporalibus agnouit vnquam, leges statuit supra bona Ecclesiasticorum, quę sub suo Dominio sunt,punit Ecclesiasticas personas in casibus grauibus & atrocibus, & disponit dę bonis nōdum ad Ecclesiasticos deuolutis,idque authoritate quam à Deo immediate habet, qua nunquam priuatus fuit,aut priuilegio concesso, aut canone accepto,imò in possessione eius est,immemorabili multorum sæculorum, non annorum modo consuetudine non peccat: Ratio est,qui enim contra legem aliquam non facit, non peccat, multo minus debet dici peccare is, qui legem obseruat.]

RESPONSIO.

Tandem post multas ambages Author redit ad propositum,& scopum suum penitus explicat. Sed quia loqui nescit,nisi omnis generis errores in suo discursu immisceat,eo modo Venetorum Principem depingit,ac si esset Monarcha absolutus. Dicit quod sit naturalis Dominus sui status.Si ita est,Respublica Veneta libertatem perdidit,nec verè vocari potest Respublica,quia Dominum habet & na-

turalem Dominum. Dominus est ille, qui de suo facere potest quod vult, vendere illud, donare, impignorare, commutare. Dominus autem naturalis est, qui dominium habet ex hæreditate, successione sanguinis, aut ortu, non electione, aut donatione. An conueniat Duci Veneto, hoc modo, vt sit naturalis Dominus status Veneti, ad iudicium vniuscuiusque, qui res eius Reipublicæ nouerit, me remitto. Vlterius dicens hic author quod Princeps Venetus non cognoscat superiorem in temporalibus, excepto Deo, quid est hoc aliud, quam facere eum dominum absolutum, vt sunt Reges, in quos Resp. omnẽ suã potestatẽ transtulit? Verũ si Resp. Veneta vera & libera Resp. est, vt ipsa prætendit, non transtulit omnẽ suã potestatem in Pricipẽ, sed ei illam partem communicauit, quæ sibi placuit, quam etiã augere & minuere, totámque auferre potest, vti etiam Principem pœna mortis punire, quando se Dominum faceret, vt iam semel exemplum statuit in persona Marini Fallerii, ac consequenter Dux Venetus, non solum pro suo superiori in temporalibus, recognoscere debet Deum, sed etiam Rempublicam, aut vt melius dicamus magnum Concilium. Sed relinquamus istos errores, qui si Venetos non premunt, multo minus exteros prement. Veniamus ad punctum controuersiæ. Affirmat hic Author, Ducem Venetum non committere peccatum statuendo leges in præiudicium Ecclesiæ, vt scilicet incarcerentur Ecclesiastici, quam ob causam reprehensus est à summò Pontifice, & dum eidem non obediret, excommunicatus est, & quod peccatum non committat tripliciter pròbat. Primò, quia habet à Deo potestatem immediate in persònas & bona

bona Ecclesiastica. Secundò, quia hac potestate, nec per priuilegia concessa, nec canones acceptatos priuatus est. Tertiò, quia in possessione est tempore iam immemorabili. Prima ratio falsa est, non solum ob ea quæ diximus in primæ propositionis refutatione, sed etiam ob id, quod ipse Author adiungit eo in loco, & per euidentem experientiam. Dicit enim Author eo in loco: Ducem punire posse Ecclesiasticos in casibus grauibus & atrocibus, quod signum est, quod à Deo non habeat immediatè potestatem, sed ab aliquo alio, qui eam limitatè concessit: Si enim de iure diuino immediate potestatem habet in Ecclesiasticos, haberet in omnes excessus tam graues, quam leues, atroces quam non atroces. Dicit similiter, Ducem disponere posse de bonis ad Ecclesiasticos nec dum deuolutis, quid ea limitatio significat? aliud nihil, quam quod non habeat potestatem absolutam in bona Ecclesiastica, atque ideo non habere à Deo immediate, nam si hoc modo haberet, nemo eius potestatem restringere, & limitare posset, vt nemo pontificis potestatem limitare potest. Ad hæc quæro, an Respublica imminuere & augere possit authoritatem Ducis, & eum à magistratu deponere, si ad modum legum Venetarum non viuat nec ne? certum est posse, alias enim libera non erit, Dux ergo immediate à Deo potestatem non habet, sed à Republica, & ita potestas Ducis humana est, limitata subiecta potestati maiori etiam humanæ. Secunda ratio similiter falsa est: Quia si Dux aut princeps non est spoliatus potestate sua per priuilegia concessa ab ipso personis Ecclesiasticis, hoc ideo est, quod spoliari non possit nisi vestitus: & princeps Venetus non fuerit vnquam tali potestate vestitus, cum Ref-

publica Veneta modo exorta sit, quando Ecclesiastici, à potestate laica iam exempti erant. Quamuis etiam dici possit, dum laicus fit Ecclesiasticus, tunc principem priuari sua potestate, quam in talem personam habebat ob priuilegium diuinum Ecclesiasticis datum, & canones plurimos à tota Christianitate receptos, quibus nec vllus princeps, nec omnes simul derogare possint, vt paulo superius demonstrauimus authoritate Soti & Couarruuiæ, quos pro se allegauerat aduersarius. Et si non fuisset alius, sufficere debuisset canon ille famosissimus, Si quis suadente 17.q.4. vbi omnes illi excommunicantur, qui violentas manus iniiciunt clericis aut monachis, reseruata absolutione sedi Apostolicæ, nec ibi excipiuntur principes, aut alij Domini sæculares. Et hic Canon non modo nunquam fuit reuocatus, sed Martinus V. in concilio Constant. cum vellet mitigare seueritatem illius excommunicationis, nihilominus excepit eos, qui notorie iniiciunt manus in personas Ecclesiast. tales enim sine alia declaratione voluit vitari, neque illis prodesse hanc suam indulgentiam. Tertia ratio possessionis immemorabilis, refutatur ipsismet verbis Venetorum, non enim aliam ob causam anno 1605. renouarunt legem quandam, aut vt illi vocant partem factam iam anno 1536. ne Ecclesiis donentur bona immobilia, nisi, quod nunquam vsque ad hoc tempus obseruata fuisset, vt ij ipsi fatētur. Accedit hisce: quæ possessio, quæ consuetudo valere potest aduersus veritatem, charitatem, & iustitiam? atque ideo enormis falsitas nimis est, Ducem Venetum non peccare, dum eiusmodi leges ponit, & personas Ecclesiasticas in carceres coniicit.

Deinde

Deinde qui tempore hoc videt aut audit grauissimos & horrēdos Ducis Veneti, quos perpetrat excessus, dum sacerdotes & religiosos in vincula conijcit, ad violandum interdictum Apostolicum Ecclesiasticos cogit; monasteria militibus implet, & demum ceu valens quandoque Imperator, & Hunericus Vandalorum Rex Arrianus vterque, publica persecutione Ecclesiam molestat, qua ratione dicere potest, Ducem hunc non peccare, nisi fortè à passionibus suis occæcatus, &, vt inquit Apostolus, in reprobum sensum datus sit. Omitto alia Authoris, vbi dicit, quod non peccet, qui non agit contra legem; nec qui obseruat legem, nec qui sequitur doctrinam S. Pauli, sunt enim res notæ nimis, & dignæ potius leuiculo puero, quam graui Theologo. Verum vltima censura quam adhibet author, dum ait, eos qui tenent exemptionem Ecclesiasticam, esse de iure diuino, sibi videri, modo parum fundati, modo parum circumspecti, modo nimij adulatores, non est censura lata aduersus homines, sed blasphemia in Spiritum sanctum prolata. Cum enim hæc sententia expressa sit à Conciliis generalibus Lateranensi, & Tridentino, & vere dicatur concilia generalia congregata esse à Spiritu sancto, atque ideo rectè dicatur cum Concilio primo Hierosolymitano: Visum est Spiritui sancto, & nobis, nonne sequitur, quod Spiritus sanctus modo parum sit fundatus, modo parum circumspectus, modo nimis temerarius, modo nimis adulator, si aduersarius in sua censura non mentitur.

PROPOSITIO SEPTIMA AVTHORIS.

[Dum igitur serenissima Respublica culpa digna

non est, nec peccatum committit, faciendum id de quo præcedenti propositione diximus, &, ideò à Paulo V. summo Pontifice in breui censuræ ab ipso publicatæ excommunicata est, & locis sacris interdicta, &c. nulla est eius sententia, non solum de iure positiuo, ob non seruatum ordinem præscriptum à Canone de sententia excommunicationis in 6. vt in Manifesto legitur: sed etiam de iure diuino, quia potestas excommunicandi conditionata est, si peccauerit in te frater tuus, atque ideo vbi noxa nō est, nō habet locum excommunicatio, & sententia lata in non habentem peccata nulla est ob defectum materiæ. Nec sit aliquis tam rudis ingenij, qui cogitet, licet serenissima Respubl. vt probauimus, non peccet, retinendo quod suum est, nihilominus peccare dum detrectat obedire Pontifici, & in opinione sua persistit. Constantia enim in opinione bona, non est obstinatio, & peccatum non habens, non debet dici inobediens aut pertinax: qui enim obseruat legem, facit opus sanctum & meritorium, & qui non obedit in rebus, quæ sibi iniungi non possunt, peccatum non committit.

RESPONSIO.

Duo affirmat aduersarius in hac propositione: Primum est excommunicationis sententiam publicatam à sanctissimo nostro Paulo Papa V. nullam esse de iure positiuo. *Quod non fuerit obseruatus ordo præscriptus à Canone de sententia excommunicationis in 6.* Alterum est, nullam esse de iure diuino. In vtroque manifeste errat. Dicit ergo primo, eam sententiam nullam esse de iure positiuo, quod non sit obseruatus ordo præscriptus à Canone de sententia

excom-

excõmunicationis in 6. Primũ notorie falsũ est, quia in titulo de sententia excommunicationis in 6. Tres sunt tantum Canones, qui ordinem iudiciarium determinant. Capite primo præcipitur, vt sententia proferatur in scriptis. In cap. solet. statuitur, ne quis excommunicetur post appellationem. In cap. statuimus. iubetur, ne quis excommunicetur, nisi prius de ea certior fiat, id est, nisi præcesserit trina monitio. Et licet quilibet defectus non faciat sententiam nullam, nihilominus hac excusatione non habemus opus: Sententia enim sanctissimi Domini nostri, facta est in scriptis præuia trina monitione, octo diebus pro primo, octo pro altero, & totidem pro tertio termino assignatis. Nec interposita est appellatio; nec, cum Papa ipse sit supremus Iudex, interponi potuit. Atque ideo obseruatus est exactè integer ordo iudiciarius præscriptus à Canonibus de sententia excommunicationis in sexto. Decebat aduersarium producere Canonem aliquem, & docere, qua in re non fuerit obseruatus, sed quia facere hoc non poterat, suffecit ei terminis hanc rẽ generalibus solum attigisse & decepisse ignorantes. Vlterius dicit, quod sententia sanctissimi nulla sit de iure diuino ex defectu materiæ, quia excommũnicatio pœna est, quæ absque culpa infligi non potest, atque ideo cum Respublica peccatum non habuerit, eam non potuisse excommunicari.

Ad hoc responsum est, & demonstratum, quod grauiter peccarit maxime statuendo iniquas Ecclesiæ leges, incarcerando personas Ecclesiasticas, & præter hæc manendo inobediens, nolensque res malefactas emendare & corrigere. Et si dubium fuisset, num Respublica peccatum haberet, necne cer-

tum est eius rei iudicium non ad Rempublic. sed ad Pontificem, tanquam iudicem supremum pertinere. Quod quidem nec aduersarius negare potest, qui quarta propositione asseruit, Papæ potestatem esse super peccata: si igitur Papa iudex est super peccata, ad ipsum pertinebit discernere, an res peccatum sit, necne, quemadmodum in figuram huius rei in veteri Testamento ad sacerdotes pertinebat iudicare leprosus ne aliquis esset, nec ne. Cum autem summus Sacerdos iam iudicauerit Ducem Venetorum grauiter peccasse, & infectum esse lepra spirituali, atque ideò eum à consortio fidelium mediante excommunicatione separarit, quo modo defendi & excusari potest? Dicere autem, constantiam in bona opinione non esse pertinaciam, verum est, quam diu quæstio dubia est, sed quando à Iudice iudicata & definita est, qualis hæc est de qua loquimur, persuasio eius, qui Venetorum partes defendendas suscepit, non est amplius opinio, sed error, & constantia in ea pertinacia est.

OCTAVA PROPOSITIO AVTHORIS.

Verum est S. Gregorium docere. Sententia Pastoris iusta siue iniusta timenda est, sed ad hoc netium ea sententia accommodari non potest, quia magna est differentia inter sententiā Iudicis Ecclesiastici, quæ iniusta est, & eam quæ nulla est, vt doctissimè obseruarunt Nauarrus de censuris Eccle. cap. 27. & Sotus 4. sentent. d. 22. & iniusta quidem timenda est, nulla tamen obseruanda non est. Quapropter cum censuræ publicatæ à summo Pontifice Paulo V. vt dictum est, nullæ sint, sunt enim ceu scriptum aliquod in aere aut aqua formatum, hoc est, sine sustentaculo & materia, censeo eas non debere obser-

obseruari, in Ecclesia quoque vestra nihil innouandum esse.

RESPONSIO.

Quemadmodum Aduersarius ex falsis principiis concludit sententiam summi Pontificis, quia inualida & nulla est, non esse timendam, ac consequenter sacerdotes Venetos in suo dominio celebrare posse diuina officia, ac si interdictum non staret: ita cum nos omnia eius argumenta prostrauerimus, vanáque fundamenta deiecerimus, demonstrando sententiam Domini nostri Pauli Papæ V. validam & iustam, atque ita firmam & solidam esse, ac si marmori aut æri incisa esset, securè inferimus, quod timenda ac obseruanda sit, atque ideo Sacerdotibus Venetis, & sub eorum Dominio existentibus omni diligentia seruandum esse interdictum illud, nisi offendere velint Maiestatem diuinam, & perdere salutem animarum suarum & populorum. Et hæc circa has octo propositiones dicta sufficiant. Verùm quia aduersarius sub finem propositionum suarum, inter alia impertinentia multos errores admiscet, paucis vnum post alium detegendum duximus.

Primò ait, secundum doctrinam Nauarri sententiam excommunicationis, quando nulla est timendam esse & obseruandam, tam diu quousque populus de nullitate eius sufficienter instruatur, & hoc ad euitandum scandalum. Et adiungit populum plenè de nullitate excommunicationis per Ducis edictum instructum esse. Hoc nihil aliud est dicere, quam dicere, quod quando Iudex affirmat suam sententiam esse iustam & validam, reus verò eam iniustam & nullam pronunciat, tunc reo creden-

dum esse non Iudici.Doctrina certè Theologo tali dignissima.Et quæ sententia erit vnquam, iusta & valida,vbi reo credendum fuerit?Secũdo dicit quod excusare non possit religiosos quosdam, qui maluerunt Venetiis excedere potius, quam officia diuina peragere,in quo plurimos scandalizarint. Excusatione opus nõ habent hi religiosi, & si ob obedientiam eorum erga Pontificem nonnulli scandalizati sint,opus erit,vt dicatur illis,quod saluator aliquando Pharisæis dixit.Sinite illos,cæci sunt,& duces cæcorum,Matth. 15. Tertiò, dicit defendere libertatem Principis sui naturalis,iuris esse diuini,sententiæ autem Ecclesiasticæ sunt de iure humano, quod iuri diuino cedit.Multũ olei videtur hic Doctor perdidisse in iure diuino,quod hoc ei ad singula verba in buccam veniat, ex quo etiam nascitur, quod tam diuinè argumentetur.Defendere libertatem Principis est de iure diuino, ius humanum cedit iuri diuino, Sacerdotes igitur ad defendendam Ducis sui libertatem contemnere debent excommunicationes & interdictum Papæ,Sed nos respõdemus,si iuris diuini est defendere libertatem Principis alicuius terreni,multo magis de iure diuino erit defendere libertatem Ecclesiæ, quæ sponsa est cœlestis Principis:vlterius dicimus, quòd libertas, quam hoc tempore Dux Venetus prætendit, sit libertas coniiciendi in carceres eos, qui subditi eius non sunt,& statuendi leges,contra iustitiam & pietatem,ac proinde de iure diuino est eam non defendere,sed impugnare potius. Quibus adiungimus sententias Ecclesiasticas, quantum ad potestatem esse de iure diuino,& in Euangelio fundatas Matth. 18.Quarto dicit aliquos decipi putantes, contro-

uersiam

uerſiam hanc de fide eſſe, cùm ſit ſolum de moribus,&ſi aliquid eius expreſſum ſit in ſcriptura,quod faciat negotium fidei, eſſe illud pro opinione Reipublicæ Venetæ,ſic expreſſe à S.Paulo edoctæ. Reſpondeo principalem controuerſiam non eſſe de fide:ſed eos qui ſuſciperunt patrocinium & defenſionem Reipublicæ Venetæ, immiſcuiſſe in ſuis tractatibus errores in materia de fide.Et aduerſarius, qui ſolita ſua prudentia ait,quod opinio Venetorum à S.Paulo edocta ſit,non aduertit eas res, quę à Sancto Paulo expreſſe edoctæ ſunt, non poſſe nominari opinionem,ſequeretur enim, quod dubitari poſſit de doctrina Sancti Pauli,cum opinio incerta ſit & dubia. Veritas eſt,quod opinio Venetorùm nullo modo in D. Paulo inueniatur, ſed bene in Sancto Paulo epiſt.ad Hebr.ca.13. ſcriptum reperitur:Obedite Præpoſitis veſtris,& ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri.Et contra hanc doctrinam,quæ non opinio,ſed catholica & certiſſima fides eſt, agunt hoc tempore Veneti, decepti à ſimilibus vobis,non Doctoribus, ſed ſeductoribus.

Quinto dicit,Sacerdotes non debere ſeparari à capite ſuo,quod eſt Princeps, Quid aliud dicit Proteſtantium hæreticorum aliquis in Anglia?Quis vnquam audiuit Principem ſæcularem caput eſſe Sacerdotùm,ac conſequenter capùt Eccleſiæ,niſi poſt quã Rex Angliæ Heinricus VIII.deſciuit à Papa, & nominari voluit caput Eccleſiæ Anglicanę?Et tamẽ ait iſte,quod nõ de fide,ſed de moribus ſit quæſtio?

Sextò,laudat Eccleſiaſticos Venetos, qui parati ſunt ad exponendam vitam pro Principe ſuo. Noua iſthæc eſt ſpecies Sanctorũ,qui exponere volunt

vitam pro Principe, cogente eos ad perpetranda sacrilegia, & ne obediant Vicario Christi: Hactenus in laudem Sanctorum lectum est in officio diuino. Isti sunt triumphatores, qui contemnentes iussa Principum meruerunt præmia æterna. Deinceps dicendum erit. Isti sunt triumphatores, qui contempserunt Deum, vt seruarent iussa Principum, si his nouellis Doctoribus fides adhibenda est.

Septimò dicit, Venetos statuisse pœnam religiosis, nisi Ecclesias apertas permittant, & celebrent officia diuina, ne scilicet vano timore hæc intermittantur in ea ciuitate, quæ semper catholica fuit, & iam magis, quam vnquam se talem esse palam profitetur. Ad hoc non ego respondebo, sed dabo locũ Spiritui sancto, vt ipse respondeat per os Samuelis, 1. Reg. 15. Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & scelus Idololatriæ nolle acquiescere. Et vt non dicatur fieri hic sermonem de obedientia Deo debita, audiat quid dicat Dominus Luc. 10. Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Itaque certò sciat Respub. Veneta diuina officia & sacrificia Deo facta contra obedientiam Vicarij Christi, Christo non placere, neque placare, sed magis excitare iram Dei aduersus offerentes, & eos, qui Sacerdotes ad offerendum compellunt.

Octauo monet, vt doctrina Nauarri fundatissimi Doctoris in cap. nouit. de Iudicijs not. 3. & in manuali c. 27. de censuris legatur, dicens se eum in omnibus

omnibus supradictis fautorem habere. Adhortatur demum, vt quicunque periculum declinare velit se recipiat ad securissimum notabilis illius doctrinæ portum: quod singuli Ecclesiastici, si aliqua exceptione gaudent, ea gaudeant non iure diuino, sed ex priuilegiis Principum, quæ ab ipsis reuocari, minui, & pro arbitrio ampliari & extendi possunt. Respondeo immeritò Nauarrum ab eo adferri, ac si faueret erroribus eius hucusque edoctis. Et quia libri impressi sunt, & ab omnibus passim feruntur ad iudicium Lectoris me remitto. Sed quod Principes seculares reuocare possint, aut minuere priuilegia exemptionum, quæ habent Ecclesiastici, est doctrina tam falsa & recens, quod, vt superius diximus, in specie ipse Couarruuias eam improbauerit, qui vnus tamen est authorum Ecclesiastici exemptioni, haud benè fauentium.

Cum iam satisfecerim, vt existimo omnibus huius Authoris obiectionibus, restat solum, vt moneam, exhorter & orem, (vt ex toto corde facio) nobilissimam illam Rempublicam, & serenissimum eius Principem, vt bene considerent, quibus Doctoribus se credant. Et vt longius non procedam, hic Doctor, cui respondeo, ait Nauarrum totum sibi fauere, & tamen Nauarrus in summa c.25.num.16. ait, peccatum esse Ecclesiasticos cogere, aut eisdem præcipere ne seruent interdictum. Et capite Nouit. de iudiciis notab.6.num.30. Clericos & Monachos exemptos esse à potestate Principum sæcularium iure diuino, quantum ad causas criminales, spirituales, & alia Clericatui annexa, & subiungit hanc esse communem sententiam Theologorum & Canonistarum. Igitur ex sententia Nauarri peccat contra

ius diuinum Princeps ille, qui coniicit in carceres Ecclesiasticos & Monachos, aut eosdem præsumit iudicare in causa criminali: Et similiter peccat contra ius diuinum, quando Clericis aut Monachis præcipit, vt Missas celebrent, aut diuina officia, sunt enim hæ res spirituales, & demum peccaret contra ius diuinum, si eam exemptionem, quã Monachi & Clerici habent à Deo, prosus tollere aut minuere niteretur. Ecce igitur quam falsa docuerit hic Doctor, & quemadmodum sub nomine Nauarri vobis imposuerit. Similiter faciunt omnes alij, à quibus huc vsque similis materiæ libri referti omnes nouitatibus, & mendaciis, in lucem prodierunt. Admoneo simul, & rogo, vt cogitetis neminem filiis melius velle, quam Patrem & Matrem, & ideo dixisse Paulum etiamsi multos habeatis Pædagogos, non tamen habetis multos Patres. Mater vestra est sancta Ecclesia Romana, Pater vester est summus Pontifex, qui loco Christi vos nutrit, & educat, donec perfecti sitis & capaces hæreditatis Paradisi. Ideo præsupponere debetis multo melius vobis velle hanc matrem, & hunc patrem, quam Pædagogos istos, qui vos contrarias regulas docere conantur. Vltimo tandem exhortor, & obsecro, attendatis diuina iudicia, quæ sæpius etiam in hac vita manifestata sunt. Legitur in vita Stanislai Episcopi & Martyris Papam Gregorium VII. ob peccata Regis Boleslai tulisse interdictum in vniuersam Poloniam, excommunicasse Regem, eidemque abstulisse regium titulum. Mãsit prædictus Rex induratus & impœnitens. Deus eum castigauit, faciens vt incolis contemptui, exteris vero execrationi esset. Nec hoc conuertebatur, secũdum flagel-

lum

lum subiunxit Deus, vt vna pars regni rebellaret, in altera dissensiones, & seditiones graues oborirentur. Nec hoc suffecit, adiunxit tertium flagellum, vt ceu mente captus, dum per syluas vnà cum canibus errabundus discurreret, tandem quodam die repentina morte corrueret, & à propriis canibus discerperetur. Ecce finem horrendum eius, qui excommunicationem & interdictum Vicarij Christi spreuit, & nihilominus hic nunquam ausus fuit præcipere, ne excommunicatio & interdictum seruaretur. Eundem finem habuit Ludouicus Bauarus Imperator, qui contēnens cēsuras Papæ Ioannis XXII. & post hunc Papæ Benedicti XII. quodam die ex improuiso irruēte super eum equo, subitanea morte extinctus tantum spatij reliquum non habuit, vt absolui à peccatis & cēsuris potuerit, vt scribit Ioānes Villanus l.12. c.105. Idem Deus modo est, qui tunc, eiusdem potentię cuius tunc; atque ideo si tam seuerè puniuit eos, qui ad contemnendum censuras neminem impellebant, sed ipsi solum eas spernebant, insoliti nihil faceret, si hoc tempore puniret eos, qui non ipsi solum censuras nihili faciunt, sed minis mortis quoque alios ad earum contemptum impellunt. Obediamus ergo Spiritui sancto, qui in Psalmo nos exhortatur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et alibi: Nolite tangere Christos meos. Et alibi: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.

FINIS.

2416.